BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Calov, Abraham,

Epistolam S. Judae Apostoli quoad textualem analysin, dogmaticam exēgēsin, et nobilissim. controversiarum epilysin

Witteberga 1719

4 Diss. 3081,16
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10955569-2
VD18 1489386X-001

Diss. 4°
3081
16

3081. 16.

24

J. N. D. N. J. C.

EPISTOLAM S. JUDÆ APOSTOLI.

Quoad

TEXTUALEM ἀνάλυσιν

DOGMATICAM ἐξήγησιν, ET

NOBILISSIM. CONTROVERSIARUM ἐπίλυσιν.

DISPUTATIONIS PUBLICAE LOCO

Cum Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ

In Illustri ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO

Viri Admodum Reverendi, Amplissimi atque Excellentissimi,

DN. ABRAHAM CALOVII,

SS. THEOL. D. ET PROF. P. CONSISTORII ADSESSORIS, ECCLESIÆ PASTORIS, ET CIRCULI ELECTORALIS SUPERINTENDENTIS GENERALIS.

Domini Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui

ætatem venerandi, colendi.

Placido Eruditorum examini

subjicit

M. CHRISTIANUS SCHULTZE,

Sunda Pomer.

In Acroaterio Majori d. Martii

ANNO cIↃ IↃ CLIV.

WITTEBERGÆ,

LITERIS SCHROEDERIANIS, ANNO 1719. (11)

BIBLIOTECA
NAZIONALE
VITTORIO
EMANUELE
ROMA

I. N. J.

AUrea sunt Doctoris gentium Divi Pauli, quæ profert verba, in 2. sua epistola ad Timoth. cap. 3. v. penult. & ultimo: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, in justitia: ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus;* Egregie enim in illis commendatur universæ scripturæ dignitas, ac majestas, quod non humana inventione indagata, sed divina suggestione sanctis DEI hominibus inspirata sit; unde seqvitur, eos nihil scripsisse, nisi quod DEUS illos voluit scribere, imo insufflavit, & in calamum quasi dictavit: non vero, ut cum Papistis quibusdam D. Georgius Calixtus vult, ita saltim moderatus sit, ne quidquam scriberetur, nisi quod esset ex re, vero & decoro, siquidem universaliter pronuncier Apostolus πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, OMNIS scriptura, divinitus inspirata est. Qvod ipsum de nulla alia scriptura vel doctrina, quæcunque tandem in universo terrarum orbe occurrat, affirmari potest; tum quod *doceat*, qvid in religionis negocio credere, & quomodo vivere debeamus; quod *arguat* errores & peccata, *corrigat* itidem eos, qui emendatione opus habent, *ut integer sit DEI homo* (id est, ex DEO renatus & in filium adoptatus, vel, ut alii malunt, phrasi scripturæ recepta, verbi Minister,) instructus ad bene operandum, quæcunque etiam illi fuerit oblata occasio; ne in hoc vel illo tantum integritati vitæ studeat, in aliis vero negociis plurimum à veri Christiani officio recedat. De communi vero hoc elogio Scripturæ plurimum sibi decerpit, & si non primas, certe nec postremas partes, meritissimo quodam jure sibi vendicat D. JUDÆ epistola, verbis quidem concisa, sed sensu divinitatis largiter abstrusa; Ex DEI enim instinctu gravissime hortatur in illa Thaddæus, ut à falsis ac pravis doctoribus sedulo caveamus, simulque hæreticos & Empectas accuratissime, imo vivis quasi coloribus depingit, in hæc ipsa, qvibus vivimus, tempora, dubio procul omni, digitum intendens; & tandem monet, ut in

vera fide, & converſatione ſancta ad finem usqve perſeveremus, alii alios Chriſto lucrifacere, & errantes in viam reducere ſtudentes: Cujus Epiſtolæ explicationem βραχέως proponere, ac de ea pro modulo diſſerere, qvum ferat animus: *tu qui ex altatus dona præ hominibus accepiſti*, adſis ô Chriſte cœptis & laboribus hiſce quam benigniſſime, ut omnia dicta & cogitata noſtra cedant in nominis tui gloriam, & noſtram ſalutem, Amen.

2. Cœterum, qvum teſte ſapientiſſimo Seneca, plurimum proficiat ſermo, qui minuatim, ac diſtincte irrepit animo, ne & nos ἀτάκτως καὶ ἀμεθόδως hinc inde divagemur, ſingula Epiſtolii hujus certo ordine, prout Autor ipſe nobis anſam dabit, ſubſeqventibus membris incluſa proponemus: ita, ut *primum* diſpiciamus *de Autore & autoritate illius*; 2. *De argumento ejusque occaſione, fine vel ſcopo*; 3. videbimus *formam tractationis tam in genere, quam in ſpecie.*

3. Primum qvod attinet, qvis nempe fuerit *Autor*, ſive, ut termino utar, *Cauſa efficiens* hujus Epiſtolæ? notum eſt, quod ea ſit & Principalis, & minus Principalis; Illam dicimus eſſe ipſum DEUM, ſive Spiritum Sanctum, *à quo impulſi*, (ſive *inſpirati*, ut loqvi amat vulgata verſio) *loqvuti ſunt Sancti DEI homines*, teſtante Apoſtolo Petro 2. epiſt. cap. I, 21. imo ipſiſſima veritate Chriſto; Matth. X, 20. *Non vos eſtis illi loquentes, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*: atque hinc fluit autoritas illa hujus Epiſtolæ divina, qvod annumeretur cæteris N. Teſtamenti ſcriptis Canonicis; continet enim certiſſimum canonem, ſive regulam doctrinæ & morum, ex cujus veritate res humanas omnes excuti & judicari neceſſe eſt, ut optime Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. & Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 3. & ſeqq. notante Franciſco Junio in Comment. ſuo ſuper Epiſt. Judæ; pag. 1659. Nam *verbum DEI eſt veritas* Joh. XVII, 17. *nos autem nihil poſſumus adverſus veritatem, ſed pro veritate.* 2. Cor. XIII, 8. Hinc etiam vulgo in Codic. Græcis inſcribitur Catholica, (ἡ τῦ Ἁγίᾳ Γράφᾳ καθολικὴ ἐπιςολή) eo qvod attinentes univerſum genus humanum leges contineat, theſaurumqve doctrinæ publicum, ut

& signum ac tesseram Catholicæ, seu universalis Ecclesiæ 2. Tim. III, 16. Insigniuntur hoc titulo sex aliæ adhuc Epistolæ, utpote: Jacobi, Petri duæ, & tres Johannis; Quas ita dictas existimat Lyra *à fide universalis Ecclesiæ; quia non uni populo, aut civitati, aut personæ sint adscriptæ, sed universali Ecclesiæ, undecunque eam sibi collegerit DEUS, sive ex Judæis, sive ex Gentibus*; verum minus solide aut sufficienter, si enim hæc ratio militaret, vel Jacobi epistola, duæ posteriores, itidem Johannis Catholicarum titulo excciderent, cum illa *duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione*, nempe Judæis inscripta sit; hæ vero certis quibusdam personis, Dominæ cuidam Electæ, & Gajo amico; vel Epistola ad Ebræos, quæ itidem ad Judæos perscripta, hunc sibi vendicaret titulum, & reliquis septem annumeranda esset; Quicquid igitur sit, unde hunc titulum obtinuerint dictæ epistolæ, inconsiderata potius consuetudine, qvam certa ratione id factum videtur, omnia enim divinitus inspirata scripta jure sibi hoc tribuunt, ut vocentur, Catholica, seu Universalia; quæ omnes homines attinent, qvia, *quæcunque scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem, scripturarum spem habeamus*, inquit Apostolus Rom. XV, 4.

4. Impugnata autem fuit autoritas Canonicæ hujus Epistolæ, non solum tempore Patrum, dum alii plane adimere eam conati sunt, alii in discrimen eam vocarunt ὑπο νοθευόμενον & ἀντιλεγομένην, vel suspectæ autoritatis eam appellantes; de quibus ita Eusebius l. 2. cap. 22. *Illud tamen nos minime præterire decet, quod licet à quibusdam, tanquam adulterina & minime germana propterea judicetur, quod non adeo multi ex veteribus illius Epistolæ (scil. Jacobi) sicut nec ejus quæ dicitur Judæ, (quæ etiam in septimo Catholicarum epistolarum numero ponitur) ullam omnino mentionem faciant, tamen nos istas cum reliquis, in quam plurimis Ecclesiis publice receptas approbatasque cognovimus*; & lib. 3. cap. 19. *Ex illis, quæ in dubitationem quidem vocantur, sunt tamen à plerisque receptæ, est Epistola, quæ Jacobi dicitur & Judæ*: Hieronymi in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum hæc sunt de hisce verba: *Judas frater Jacobi, parvam quidem, quæ de septem Catholicis est, epistolam reli-*

quit; Et quia de libro Henoch, qui Apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque rejicitur; autoritatem tamen vetustate jam meruit & usu, & inter sanctas scripturas computatur; Sed nec Avorum nostrûm memoria, seculo nempe decimo quinto, non ita pridem elapso, adeo penes omnes indubitata hujus Epistolæ fuit autoritas, qvam cæterorum N. Testamenti scriptorum, quæ canoni accensentur; qvod patet præcipue ex Centuriatoribus Magdeburgensibus, Centur. 1. lib. 2. cap. 4. de scriptis Evangelist. & Apost. ubi inter alia hæc habentur verba: *Judæ Epistolam etiam hæc arguunt non esse genuinam, quod non Apostolum, sed servum se appellat; quodque ipse se post Apostolos vixisse prodit, qvum inquit; Vos autem dilecti, memores estis verborum, quæ antehac dicta fuerunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, quod dixerunt vobis &c. quod quædam de verbo ex Posteriori Petri describit, & quod citat sententiam de termine Michaëlis Archangeli adversus diabolum de corpore Mosis, & ex vaticinio Enochi, quæ in probatis veteris scripturæ libris non habentur &c. Et quod Judam non in Græciam, sed in Persiam venisse, memoriæ proditum est, ubi Persice potius, quam Græce scripsisset.* Et lib. 2. centur. 1. c. 10. de Vitis Doctorum ita legimus: *Adscribitur Judæ epistolium breve quoddam, quod veteres non habuerunt pro authentico, & adulterinum esse scriptum, Eusebius ostendit lib. 2. cap. 23. Quædam etiam in eo de verbo ex poster. Petri epistola adscripta sunt, deinde non ut Apostolus, sed discipulus Apostolorum loquitur, nec se quidem Apostolum dicit, sicut Petrus & Paulus faciunt, sed servum Jesu Christi, & fratrem Jacobi; Postremo sententias & res citat, quæ in scriptura non extant, ut cum Michaël Archangelus, cum diabolo disputans, altercaretur de Moysis corpore, &c. quod in Zachariæ verbis, Zach. 3. non habetur*; Præterea testatur Bellarminus lib. 1. de verbo DEI, c. 18. *Cardinalem Cajetanum de autore Epistolæ Judæ dubitare, & propterea etiam eam minoris autoritatis velle esse, quam cæteras.* Qvod autem B. Lutherus, ac Chemnitius noster, Magnus suo merito appellandus, plane inter Apocrypha illam referri velint, prout arguit eos Paræus, fictum est; diversum potius videre licet in Exam. Concilii Tridentini, parte 1. p. 68. 69. edit. in 8tavo. Utut autem hic ex verbis Tantorum Virorum elicere velit aliquis

quis Epiſtolam hanc Judæ non eſſe in Canone, ſciendum, Canonicum dici dupliciter, ex mente D. Tarnovii p. m. *Aut ſenſu primario, de quo nunquam dubitatum, ut ſunt Pentateuchus, Pſalmi & Prophetæ*; ſicque non eſt Canonica, vel potius πρωτοκανονικὴ, ut patet ex ante habito diſcurſu; *aut ſenſu ſecundario, de cujus autoritate ab aliquibus, non à tota Eccleſia, & quidem ſemper dubitatum fuit, & ſic Canonica eſt* (vocant nonnulli δευτεροκανονικὴν) ſiquidem à DEO habet autoritatem, & *per ſe*; atque hoc pacto inter illos & modernos Theologos non rerum, ſed verborum tantum eſt diſſidium. Diſtinguit hic Cardinalis Bellarminus *inter autoritatem ſcripturæ in ſe, & ratione noſtri*: *In ſe, vel ratione ſui*, inquit, *non habet autoritatem ab Eccleſia, ſed ratione noſtri, ut ſciamus, quid ſit canonicum, quid vero ſecus, illud habet ab Eccleſia. Et hoc modo quod dicitur Canonica hæc Epiſtola, habet ab Eccleſia.* Verum ludit ille vocabulis, more ſolito; Diſtinguendum enim inter quæſtiones, cum quæritur de autoritate ſcripturæ; aliæ enim ſunt de certitudine hiſtoriæ & Autorum, aliæ de autoritate ac majeſtate rerum interna. Quod ad priores, credendum eſt Eccleſiæ, ut veræ obſervatrici; quod ad poſteriores, minime: ſiquidem interna majeſtas ex κριτηρίοις metienda eſt, nec illam Eccleſia largiri poteſt; Si enim infidelibus Eccleſiam objicias, numerum illi numero opponent, ſi vero fidelibus, fidunt hi Domino in ſcripturis.

5. Eſſe igitur Canonicam Judæ Epiſtolam, ſubſequentibus argumentis, tam ἐντέχνοις, quam ἀτέχνοις ſuffultum damus: 1. Quia omnium Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta ſunt divina & Canonica, 2. Tim. III, 16. & poſt. Petri I, 21. quidni igitur & Judæ, qui fuit ex numero Apoſtolorum, ideoque omni exceptione major, & diſertis verbis ſe Autorem hujus Epiſtolæ profitetur, quod videre eſt ex Epigraphe, & primis verbis ejus. 2. Quia nec quicquam continet à doctrinæ Apoſtolicæ autoritate ſeu puritate alienum, aut, quod Canoni doctrinæ, ac vitæ, ſive morum ſit contrarium; quin potius ejusmodi, quæ quoad res & verba conſentanea ſunt reliquis ſcriptis Apoſtolicis, & quæ ſapiunt τὴν ὑγιαινουσὴν διδασκαλίαν, juxta monitum D. Pauli ad Tit.

cap.

cap. 2, v. 1. Graphice enim in ea glorioſus Salvatoris noſtri ad ultimum Judicium adventus depingitur, & corrupti mores perverſorum hominum ultimis hiſce temporibus, indicantur. 3. Qvia præ ſe fert ſtyli majeſtatem divinam, omnibus ſcriptis canonicis communem; qvæ patet ex internis κριτηρίοις verbi divini, *vivus* enim, inquit Apoſtolus *Hebr. IV, 12. eſt ſermo DEI & efficax, & penetrantior quovis gladio anciptiti, ac pertingens usque ad diviſionem animæ ſimul ac Spiritus, compagumque ac medullarum, & diſcretor cogitationum ac intentionum cordis.* Accedit 4. Teſtimonium Antiquitatis, Patrum & Conciliorum; Canonicis enim annumeratur ſcriptis in Concil. Laodiceno & ab Athanaſio, Tertulliano, Cypriano, Origene, Epiphanio, Hieronymo reliquisque veterum ſub nomine Judæ citatur, & inſigniter commendatur: ita enim de illa loquitur Origenes Commentar. in Matthæ. c. 13. *Verſuum quidem eſt paucorum, ſed plena efficacibus verbis, gratiæ cœleſtis; in brevitate igitur verborum luxuries eſt rerum.* Nicephori, Autoris utut aliàs fabuloſi, hæc ſunt verba; lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 45. *Porro divus Jacobus, frater Domini, duodecim tribubus unam Catholicam conſcripſit epiſtolam, duas itidem Petrus & tres divinus Johannes: unam autem Judas, quas numero 7. univerſas, ut germanas atque nativas dudum Eccleſia recepit, & in numerum N. Teſtamenti vernaculorum librorum quam maxime retulit.* Et lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 38. in fine: *Judæ epiſtola magnifice & cum multa libertate ſcripta, quamvis ejus vetuſtiores mentionem nullam faciant.* Quæ cum ita ſeſe habeant, mirum eſt, quosdam eo temeritatis progreſſos eſſe, ut poſthabitis hiſce omnibus, eam ex canone proſcribere, ac eliminare voluerint, moti præſertim rationibus frivolis, & nullius momenti; quarum ſi quasdam in medium attulerimus, fruſtra eos laboraſſe, luce clarius pateſcet.

6. Primum igitur & præcipuum eorum argumentum eſt, *quod non fuerit inde à principio ἐνδιαθήκ@, id eſt, in corpore, ſive Canone Novi Teſtamenti comprehenſa, ſed multorum judicio viſa ſit ὑποβιβλ@ & adulterina*; ſed facilis eſt reſponſio; neganda enim conſequentia majoris, ſi rite ac Syllogiſtice argumentum formetur; cum unius ac alterius judicium non debeat præjudi-

care

care communi ſententiæ recte ſentientium; Inventi ſunt olim, & adhuc inveniuntur, qvi totam ſcripturam rejiciunt hæretici, Gentiles nimirum & Mahumedani: eorumne autem malitia & incredulitas autoritatem ſcripturæ tollet aut minuet? Ita Judæi, licet univerſa Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcripto ludibrio habeant, nihilo ſecius divina & infallibilis eorum manet ac ſtat inconcuſſa autoritas; *eſt enim DEUS verax, omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt; ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris* Rom. III, 4. Secundo urgent, *quod Autor hujus Epiſtolæ citet & adducat res, ut & ſcripta, quæ nullibi locorum in codice ſacro inveniuntur; Sed ex Apocryphis, ſeu fabuloſis libris petita ſint, qualia: Conflictus Archangeli Michaelis cum Diabolo, de corpore Moſis, & liber, ſive ſcriptum Enochi; ideoque pro Canonica eam non habendam eſſe.* Sed reſpondemus, negando itidem conſeqventiam Majoris: ſi enim Paulo licuit, ex profanis Autoribus teſtimonia producere, utpote ex Arato, gentilium Poëta, ex Epimenide Cretenſi, & ex Menandro; qvod conſtat ex cap. 17, 28. Actor. ubi Arati habentur verba; *τῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν, cujus & genus ſumus* 1. Cor. XV, 33. Verſus Jambicus Menandri legitur: *Φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαὶ, Corrumpunt bonos mores colloquia prava;* Epimenidem autem, ſive, ut alii volunt Callimachum, non obſcure allegat Paulus Tit. I, 12. *Εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γάστερες ἀργαί: Dixit quidam ex illis, proprius ipſorum Propheta; Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri:* quidni multo magis liceret, loco probationis, ſive confirmationis, quædam adducere ex Apocryphis, qvi ſacri à nonnullis dicuntur, nempe qvia de rebus ſacris & divinis tractant, nam utut aliqua in iis ſint dura & reliqvis ſcriptis Canonicis contraria, ob quæ vetus Eccleſia eos è Canone rejecit, multa tamen, imo pleraqve in illis continentur vera, qvæ cum fructu citantur à viris piis, non utiqve ad dogmatum confirmationem; ſed vel ad morum inſtitutionem, vel ad hiſtoriæ fidem; accedit, quod *ejusmodi res, ſive verba*, ut optime notat Franciſcus Junius l. c. 9. *ex libris profanis*, quanto magis Apocryphis, aut traditionibus petitæ, *ſanctificentur au-*

tori

tori suo, & ad justissimum usum revocentur, qvum scripturæ serviunt: itaqve duo hæc ἀξιομνημόνευτα scripta, dicta, seu facta; de qvibus postea in specialiori tractatione fusius, si olim fuere ἄγραφα, nunc per Apostolum Iudam sunt facta ἔγγραφα; non enim seqvitur, qvod aliqvando fuit Apocryphum, id protinus plane esse falsum; multa enim in V. T. citantur scripta, qvæ hodie non extant, utpote liber bellorum Domini; qvem alii Iosuæ putant esse, libri dierum, Prophetia Nathan, item Eliæ &c. nec propterea quisquam falsitatis ea arguet: De qvibus videatur Dominus D. Waltherus in officinæ Biblicæ repositorio posteriori de script. in specie de libris deperditis. Sed hæc ex hypothesi dicta sunto: Non autem arbitramur necessarium esse, ut hoc dicatur ex Apocrypho aliqvo scripto adductum: qvandoqvidem immediata S. S. revelatione, qvæ Mosi & aliis viris θεοπνεύστοις ea, de qvibus nullam aliunde vel habebant, vel habere poterant notitiam, cum D. Præside Iudæ Apostolo suggesta fuisse censendum sit, cujus impulsu scripsere Apostoli. Porro instant 3. *quod Autor se non vocarit Apostolum, quodque verbotenus quædam ex aliis, utpote posteriori Petrina descripserit, ac proinde significet v. 17. Se post Apostolorum tempora vixisse*, ex qvo inferre volunt, *eum non fuisse Apostolum, quin potius Apostolorum discipulum*; cui tamen historia vocationis ejus aperte contradicit. Sed respondendum; 1. infirmam esse illationem, non enim hoc necessario reqviritur, ut Autores Epistolarum N.T. se disertim profiteantur Apostolos, diversum enim patet ex epistolis Paulinis, videlicet ad Thessalonicenses, Philippenses, & Philemonem perscriptis, ubi Paulus se non expresse Apostolum, sed modestiæ ergo δοῦλον servum JESU CHRISTI vocat; cujus exemplum qvoqve seqvuti Iohannes & Iacobus, præsertim cum vox Apostoli & servi Christi æque late pateat, qvi enim à Christo mittitur, servus ejus audit & Apostolus: Transcriptionem autem qvam vocant ex Petrina posteriori qvod attinet, vitio illi non poterit verti, siqvidem illud si transcriptionis nomine veniat, etiam Prophetis succenseri posset, quod communes passim habeant sententias, & loqvendi modos, qvalis harmonia verborum videri potest in 4. cap. Michææ,

&

& 2. Esaiæ Nahum.I,15. & Esa.LII,7.&c. deinde qvoqve negamus, qvod desumserit qvædam ex Epistola Petri ; desumpsit enim, unde Petrus illa habuit, nempe ex Veteri Testamento ; Ex versu autem 17. inferri firmiter non potest, Autorem indicare, se post Apostolos vixisse, sed probant hæc verba tantum, Iudæ epistolam fuisse scriptam post Paulinas & Petrinas , in qvibus similes inveniuntur prædicationes, utpote, 1. Tim. IV,1. &c. 2. Tim. III. 1. 2. 3. & seq. 2. Pet. II. qvarto demum objiciunt, *Judam docuisse in Persia, quod si igitur Epistolam scribere animum induxisset, Persicam potius adhibuisset linguam, non vero Græcam, utpote auditoribus suis plerisque incognitam.* Sed respondemus 1. Per instantiam; Petris docuit Iudæos Gal. II, 7. & ad eos duas misit epistolas, non Hebraica, sed Græca adhibita lingua. Paulus scripsit ad Romanos, nec tamen Romano, sive Latino Idiomate usus, neqve ad Hebræos Ebræo, 2. Est hæc Epistola Catholica, ad omnes fideles missa, ideo etiam vulgatissima tum temporis lingua, & N. Testam. propria, neinpe Græcorum in scribendo uti voluit: accedit, qvod cum absentibus aliqvid significandum, non præsentium, qvibus cum tum vivimus, lingua utimur, sed absentium, cujus illi gnari: ita, si qvis moderno tempore in Gallia, vel Hispania degens, scriptum aliqvod edere cupiat, qvod omnium, præsertim literatorum, usui non vulgari inservire posse, existimet, verbis id excudi curabit, non Gallicis, vel Hispanicis, sed potius Latinis, siqvidem ea lingua hoc seculo literarum feraci communissima; de Germanis & aliis idem esto judicium, qvemadmodum scripta qvotidie in lucem prodeuntia abunde id testatum linqvunt.

7. Causa minus principalis efficiens organica hujus epistolæ, autor nempe mediatus qvis sit, ex epigraphe & initio verborum epistolæ dispicere licet ; nominatur enim in ipsa inscriptione Iudas Apostolus ; in salutatione vero se profitetur servum IESU Christi, & fratrem Iacobi; qvibus verbis succincte comprehendit ac exhibet. 1. Nomen. 2. Vocationem. 3. Officium. 4. Genus suum ; Nomen ejus est Hebraicum ; יהודה Iehuda, cujus Etymon exprimit uxor Iacobi, Lea Gen. XXIX, 35. (videatur Petrus Galatinus lib. 5. de arcanis Cathol. veritit. cap. 9.

lit. b. d. & f. Ubi explicat dictum Jeremiæ XXIII, 6. his verbis: *Juda DEI confessio interpretatur, nam* יה *idem est quod Deus,* & הורה *confessio, unde componitur* יהורה *Jehuda, id est Juda, quod idem est, quod DEI confessio*) ac si idem sit quasi confitens & celebrans DEUM, quod si de ullo Juda in sacris verum, maxime huic competet, qvi, ut insignis præco in promovenda DEI gloria, longe, lateque occupatus fuit, ita enim de eo Autor imperfecti operis apud Chrysostom. homil. 1. in Matthæ: *Vocatur Judas*, inquit, *non solum quia pietate & constantia retulit Judam illum è duodecim patriarchis, sed & quia DEum glorificavit, simulque vivus ac mortuus universam docuit Ecclesiam*, hinc optime B. Lutherus; *Nomina Apostolorum*, inquit, *ita sunt comparata, ut facto ingenium eorum exprimant*; Distinguitur autem hic Judas 1. à Patriarcha Juda, cujus fit mentio Gen. XXIX, 35. & alibi. 2. à Juda Ischariothe Joh. XIV, 22. proditore Domini, & filio perditionis Joh. XVII, 12. in cujus cor intraverat diabolus Joh. XIII, 2. 3. A Juda, cognomine Barbasa, Actor. XV, 22. de qvo Centuriatores Magdeburgenses Centur. 2. lib. 2. cap. 10. de vitis Doctorum. *Judæ cujusdam Lucas meminit cap. 15. quem inter fratres Ecclesiæ Hierosolymitanæ primarium, & quidem Prophetam fuisse tradit, ac interfuisse Synodo Hierosolymis, super controversia de necessitate circumcisionis, cum eo legati ex Antiochia Paulus & Barnabas venissent, quibus postea cum literis digredientibus, comes additus sit, & Antiochiam pervenerit, ubi aliquando commoratus, concionibus multis fratres exhortatus sit ac confirmarit, tandem vero Hierosolymam redierit*; 4. à Juda Galilæo, homine seditioso, & ad quævis facinora patranda, quasi nato Actor. V, 37. non tamen diversus is est à Thaddæo, sive Lebbæo, ut quidam non inferioris notæ viri antehac contenderunt; quod patet ex Luc. VI, 16. ubi is qvi Judas Jacobi filius audit Marc. III, 18. Thaddæus vocatur: Thaddæi autem & Lebbæi nomina fuisse synonyma, & æque late patentia, diserte exprimit Matthæus cap. X, 3. quando inquit, *Jesum una cum aliis discipulis assumsisse Lebbæum, cognomine Thaddæum*, ubi Lutherus in margine: *Lebbæi autem nomine hoc in loco, ingenuus & probus ille Judas venit*: Quæ causa fuerit hujus πολυωνομίας Juda, si quis disquirat, dicimus

id

id præcipue factum; tum ut insignis ejus constantia in confessione Christi testata redderetur populari voce θαδδαίε, quæ Syriaco Idiomate idem significat, tum ut eo facilius à Proditore Juda, primo Apostata N. Testamenti discerneretur; cujus nomen infame erat in Ecclesia: neqve enim ob funestum hunc Salvatoris nostri προδότην Luc. VI, 16. inter Christianos facile cuiquam nomen Judæ impositum fuisse, legimus, ne viderentur illis accedere, qui ex insana superstitione *Judam Proditorem inter sanctos numerabant, adeoque honorem & cultum ipsi tribuebant, eo quod per hunc salus nostra sit promota, nisi enim is Christum prodidisset, atque in manus hostium tradidisset, Christus non fuisset occisus, neque mortuus pro peccatis nostris*; quod facere soliti erant Cajanorum & Corinthianorum hæresi addicti, ut notat Euseb. Hæres. 8. & Tertullianus de Præscript. cap. 47. 2. Vocatio ejus indicatur nomine Apostoli, qvæ vox latine reddita significat legatum, seu missum, quod genus nominis ipse Servator noster, qui κατ' ἐξοχὴν Apostolus, & summus Pontifex confessionis nostræ appellatur Ebr. III, 1. discipulis suis imposuit Luc. VI, 13. Siqvidem hi non ab hominibus, neqve per homines, sed per Jesum Christum, & DEUM Patrem vocati erant, ut loqvi amat Tarsensis Apostolus Gal. I, 1. quibus etiam accensetur Judas noster Actor. I, 13. & Luc. VI, 16. Atqve ex hac sanctissima vocatione oritur. 3. Illud vocationis suæ adjunctum, sive officium, quod in salutatione servum Jesum Christi se appellitet, non communi significatione, qua omnes ex jure creationis & redemptionis servi DEI in Christo Jesu sumus Act. XVI, 17. Rom. VI, 22. hinc Simeon ille justus inqvit, Luc. II, 29. nunc dimittis servum tuum Domine, & Maria Luc. I, 38. se vocat ancillam Domini; sed singulari, respiciens ad peculiarem suam vocationem, qua ut reliqvi Apostoli ad prædicandum Evangelium Christi selectus erat; Pari ratione etiam in Vet. Testam. tum Magistratus in civili administratione constituti, tum sacerdotes ac Prophetæ servi DEI vocantur. Esa. LXV, 8. cap. XXII, 20. Ps. 134, 1. 2. Reg. XVII, 13. & 23. Ios. I, 1. 2. 7. 1. Paral. VII, 49. Psal. LXIX, 37. Haggæi II, 24. Ierem. XXXV, 15. cap. XLIV, 4. Amos. III, 7. Et in N. T. Rom. XIII, 4. Ebr. III, 5. Quartum, qvod indicat, genus sive pro-

prosapia est, qvando se nominat fratrem Iacobi, idqve non solum in hac salutatione, sed etiam Luc. VI, 16. & Actor. I, 13. Qvis vero hic Iacobus fuerit, non immerito disquiritur; siquidem diversis Apostolorum hoc nomen erat. Philippus Pareus interpres Calvinianus hujus Epistolæ tom. 2. oper. pag. 1047. tres statuit fuisse Iacobos, qvorum unus sit filius Zebedæi Actor. XII, 2. Major alias dictus? Alter filius Alphæi, Matth. X, 3. Minor vocatus, forte ob staturam, ut qvidam non male conjiciunt; tertius vero frater Domini Oblias, sive mutus dictus apud Eusebium & Epiphanium, sed minus accurate; Tertius enim Iacobus non occurrit; qvod inde suffultum damus, qvia frater Domini Gal, I, 19. à Paulo Apostolis annumeratur, & Gal. II, 9. inter columnas Ecclesiæ, cum Petro & Johanne ab eodem computatur; Iacobus vero Zebedæi filius, frater Iohannis, (qvos Christus Marc. III, 17. Βοανεργες vocat,) priusqvam Paulus Hierosolymam veniens fratrem Domini inviseret, jussu Herodis capite plexus erat, est igitur frater Domini justus is, qvem Alphæi filium dixerunt Evangelistæ, & Obliam sive mutum Epiphanius appellat tom. 2. lib. 5, qvod etiam testantur scriptores Ecclesiastici, ita enim de hisce, inqvit Eusebius lib. 2, histor. Ecclesiast. cap. 1. Eodem fere tempore Iacobum, qvem Veteres propter singularem virtutem, qua cæteros præstabat, justi cognomine donaverunt, primum sedem Episcopalem Ecclesiæ, quæ est Hierosolymis obtinuisse, memoriæ traditur. Duos autem Iacobos fuisse fertur, unum cognomento justum, qvi de templi fastigio præceps dejectus fullonisqve vecte cæsus, occubuit; alterum, qvi capite abscisso migravit è vita; Illius autem, qvi justi cognomen invenit, Paulus etiam in Epistolis suis mentionem facit: huc usqve ille. Similiter Niceph. hist. Eccles. lib. 2. cap. 3. Duo autem fuere Iacobi, alter justus, qui ex templi pinnaculo dejectus, & à fullone, fuste usque ad necem cæsus est: alter autem capite est ab Herode plexus. Iusti porro istius & Paulus mentionem facit, scribens: alium autem ex Apostolis qvemqvam non vidi præter Iacobum fratrem Domini. Qvod & comprobant Centuriat. Magdeburgens. cent. 1. lib. 2, cap. 10. de vitis Doctorum, his verbis: Duos

fuisse

fuisse ejusdem nominis Christi Discipulos, Evangelica historia, & in Actis Apostolicis Lucas testantur, qvorum alterum Justum, item fratrem Domini, item Minorem & Iacobum Alphæi dictum, alterum Zebedæi & fratrem Iohannis, fere legimus, & paulo post ibid. Fuerunt autem duo Iacobi, unus Iustus ille, qvi de pinna dejectus, instrumentoqve fullonis percussus obdormivit, alter qvi capite truncatus est. Nulli autem dubitamus, qvin hoc loco Iudas, cum fratrem Iacobi se profiteatur, intelligi velit Iacobum illum minorem, fratrem Domini, & filium Alphæi, idqve tam, ut sibi tanto majorem autoritatem conciliaret à nomine hujus celeberrimi Apostoli, qvi in synodo Hierosolymitana Act. XV, 13. primas obtinuit, qvod innuit Augustinus; qvam ut ostenderet, se consentire cum Iacobo in puriori doctrina ab ipso Christo hausta, prout alter alterius autoritatem apud Ecclesias confirmabat, Ebr. II, 3. Reliqua de vita & Actis Autoris nostri, quod attinet, Scriptura silentio præterit, utpote qvorum ignoratio nihil damni nobis infert; præter qvam, qvod Ioh. XIV, 22. refert, eum ex Christo quæsivisse, qvamobrem se discipulis suis, & non mundo ostensurus esset? Christum vero respondisse, si qvis diligit me, sermonem meum servabit, & prout porro sese verba isthæc habent; Nihil itidem de conversione & vocatione ejus peculiari ad Apostolatum, sive ministerium memoriæ proditum, ut factum de vocatione Petri, Andreæ, Iacobi, Iohannis, Matth. IV, 18. & 21. Pauli Act. IX. & aliorum, vixisse tamen eum ad tempora usqve Trajani, Romanorum Imperatoris, refert historia vetus, & docuisse Evangelium in Mesopotamia, Ponto, Ægypto, & Persida, ubi à Magis scribitur interemtus, qvod liberius illorum superstitiones reprehendisset, ut docent Abdias, Vincentius & Sabellicus Enneod. 4. lib. 7. alii diversum perhibent; Nicephorus lib. 2. cap. 40. eum Edessæ post doctrinæ propagationem & miracula, placida morte tandem obdormivisse significat, verba ejus sunt hæc: Divus Iudas, non Ischariothes ille, cui duplex cognomen fuit, Thaddæi scilicet & Lebbæi, filius qvidem Iosephi, frater autem Iacobi, qvi è pinnaculo templi dejectus fuerat, Iudæam primum & Galilæam, Samariam & Idumæam, deinde Arabiæ

biæ Civitates, nec non Syriæ & Mesopotamiæ regiones sagena Evangelii cepit; Postremo Edessam pervenit, Augari civitatem, ubi antea alter qvoqve Thaddæus ex septuaginta illis unus Christum docuerat; Atqve qvum ibi, si qvid adhuc ex alterius illius ministerio deesset, pulcherrime expleviſſet, Christumqve simul & divinis concionibus, & operibus admirandis glorificasset, morte pacifica & quieta ad illum commigravit.

8. Hactenus de Autore & Autoritate hujus Epistolæ, videamus ergo ulterius argumentum & summam, ejusque occasionem, sive causam impulsivam; Hortatur nempe Christianos ad constantiam in fide Evangelii, ut preces & mutuam caritatem exerceant, ne fidem salvificam glorientur, operibus vero illam denegent, qvod argumentum Episcopus Hipponensis commune dicit esse tribus aliis Epistolis Canonicis, Petri, Iohannis & Iacobi, qvando Tom. 4. oper. de fide & oper. cap. 24. talia scribit: Qvoniam hæc opinio (de neglectu bonorum operum) tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Iohannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil prodesse: simulqve commonefieri vult eos de cavendis seductoribus, perditam doctrinam & mores clanculum importantibus, & sanctum Christi gregem contaminantibus, qvos vivis depingit coloribus, & æterno adjudicat exitio, de quibus in contextu plenius: Occasionem autem scribendi hanc epistolam Apostolo præbuit; partim amor & sollicitudo debita erga Ecclesiam, & ejus membra, qvæ insignem ruinam & defectionem minari videbatur; Iudas igitur probe callens, qvid sui esset officii, nempe ut malo huic temporius subveniret, & oviculas Christi adversus insultus talium luporum tueretur, siqvidem fidelibus incumbit Pastoribus, ut pro salute ovium suarum, ad excubandum stent, jugiter per diem, ad custodiam qvoqve se sistant per totam noctem Esa. XXI, 8. Sunt enim Sal terræ Matth. V, 13. Lux mundi v. 14. & dispensatores mysteriorum DEI 1. Cor. IV, 1. qvorum est vigilare pro animabus sibi commissis, tanquam rationem aliqvando redditurorum Ebr. XIII, 17. hac cygnea cantione mundo quasi valedicens, Eccle-

sias

lias à corruptione morum & doctrinæ vindicare voluit ſtudioſiſſime, ſerio inculcans ſinceritatem dogmatum fidei, & vitæ ſanctitatem; ſecutus exemplum Moſis, Jacobi, Davidis & aliorum; qui jam jam ad beatiores ſedes migraturi graviſſima præcepta ſuis admonitionis ergo reliqvere: partim vero anſam ei præbuit, temporum iniqvitas: Apoſtoli pleriqve ſublati erant, fides & pietas cum illis paulatim abibant, aſſurgebant qvotidie novi Impoſtores, homines curioſi, recedentes à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Pſeudo Apoſtoli & ſubdoli operarii, transformantes ſe in Apoſtolos Chriſti 2. Cor. XI. 3. 13. qvi unitatem fidei convertebant in falſitatis Schiſma, qvemadmodum Servatoris noſtri mens augur & futuri præſcia diſcipulis ſuis mature Eccleſiæ faciem depinxerat Matth. XXIV, 25. Ecce ergo prædixi vobis: Talis ſeductor, & Dominum, qvi ipſum mercatus erat, abnegans, fuit Elymas, Magus (ſic enim interpretandum eſt nomen ejus) qvi dum Proconſulem avertere ſtudebat à vera fide, celerem ſibi ipſi accerſivit interitum 2. Pet. II, 1. dum viſu orbatus fuit à Paulo repleto Sp. S. ut legere eſt in Act. cap. 13. v. 9. & 10. Ejusmodi qvoqve Empæcta fuit Simon Magus, & hunc ſucceſſu temporis ſeqvuti alii hæretici, utpote Ebionitæ, Nicolaitæ, Cerinthiani, Carpocratiani, Marcionitæ, Gnoſtici, & alii, qvorum immenſum numerum recenſet D. Auguſtinus in lib. de hæreſ. qvi tum temporis inſtinctu Satanæ paulatim vires acqvirebant, ne igitur incautiores ac ſimpliciores horum fraudibus ac dulciſonis verbis circumvenirentur, Judas in hac Epiſtola proprietates & χαρακτῆρια illorum ut eo facilius agnoſci & vitari à qvovis qveant, Eccleſiæ oculis exhibuit. Qvo tempore, & qvo in loco ſcripſerit hoc epiſtolium Apoſtolus, non convenit inter Doctores; Pleriqve tamen in ea ſunt opinione, factum id eſſe poſt natum Chriſtum Anno LXVII. alii vero poſt mortem Petri & Pauli eum ſcripſiſſe autumant, & qvidem in Perſia, ſive Aſia minori, ubi virus Hæreſeos Simonianorum tum late ſerpebat; qvod ut facile concedimus, ita aliis de his liberum relinqvimus judicium, nec prolixius nos circa illa detinemus, cum operam in ejusmodi rerum circumſtantiis, qvæ à Scripturis proditæ non ſunt, ſcrupuloſius

inquirendis ponere, plerumqve sit perdere, & majoris ut plurimum curiositatis, quam utilitatis.

9. Hisce prælibatis, nunc ad ipsam formam tractationis nos convertimus, quæ si in genere spectetur, qvatuor potissimum absolvitur partibus. 1. Salutatione, qvæ constat voto Christiano, v. 1. 2. 2. Exordio, propositione juncto v. 3. 4. 3. Expositione & confirmatione propositionis antegressæ, v. 5. 6. & seq. usque ad v. 23. 4. Conclusione *cum δοξολογία* comprehensa duobus postremis versiculis. Non igitur scopæ dissolutæ sunt, sed aptæ singulæ partes artificio Rhetorico connexæ, nam & salutationis forma cum argumento convenit, & argumentum exordio & conclusione maxime propria circummunitum est, ut in singulari explicatione ostensum dabimus, neqve enim ulla hinc verbo divino fit injuria, cum artificiosam dispositionem Sp. S. quæ illi inest, devote & cum summa veneratione observamus. Lingua usus est Apostolus noster Græca, tunc plurimis gentibus communi, qua & reliqvos N. Testamenti libros conscriptos cernimus. Stylus & character Epistolæ talis est, qvalis Apostolo, doctrinæ & facundiæ laude claro, competit, non enim nimium grandis aut sublimis, qvalis nec doctrinæ Evangelicæ conveniebat; ne, qvod ait Paulus, oratio & præconium versaretur in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, 1. Cor. II, 4. Et ne inanis redderetur crux Christi per dicendi peritiam, seu oratoriam facultatem 1. Cor. I, 17. nec est humilis, aut plane rudis & impolitus, qvem oratores Græci, aut sapientes hujus mundi merito despicere possent, sed ex utroqve temperatus, seu medius: gravis doctrina & comminationibus, scatens sententiis insignioribus, elegans verbis, argumentis efficax & nervosus & ad persvadendum præprimis aptus. Summatim, brevibus ut rem expediamus, singula verba sapiunt gravitatem Apostolicam, redolent animum vitia cane pejus & angue fugientem, & salutis fidelium anxie cupidum: qvamvis fateamur, necesse est, Epistolam hanc iis, qvi egregie in scripturis exercitatos sensus nondum sibi acqvisivere, intellectu difficiliorem esse, qvam vel sit Epistolæ Johannis, Petri & qvædam Pauli, tam ob concisam ejus brevitatem, quam rerum quarundam obstrusa-

ſtruſarum gravitatem, & myſteriorum qvorundam auguſtam ſublimitatem ac majeſtatem, ideoqve facilius ab erudítis nos veniam conſecuturos ſperamus, ſi eventus in omnibus non reſponderit conatibus.

10. Initium igitur Epiſtolæ, qvæ Catholica Judæ inſcribitur, (qvando ad ſingularem membrorum enucleationem accedimus) tale eſt: Ἰούδας Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου, τοῖς ἐν τῷ θεῷ πατρὶ ἡγιασμένοις, καὶ Ἰησοῦ Χριστῷ τετηρημένοις κλητοῖς v. 2. Ἔλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη, καὶ ἀγαπη πληθυνθείη, qvæ verba ſecundum literalem ſenſum reddita, ſic ſonant; Judas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi, in DEO Patre ſanctitatis (pro qvo vetus *dilectis*) & in Chriſto JESU conſervatis & vocatis: Miſericordia vobis & pax & charitas multiplicetur. (Vetus adimpleatur) Orditur Judas Apoſtolus Epiſtolam hanc ſalutatione, qvam primam fecimus antea partem, more aliorum Apoſtolorum, Pauli, qui hanc dicit eſſe Symbolum & ſignum omnium ſuarum Epiſtolarum 2. Theſſ. 3. v. 17. Rom. XVI, 7. Gal. I, 2. & 3. Epheſ. I, 1. 2. &c. Petri Epiſt. I, 2. verſibus prior: Jacobi; cap. I, 1. Johannis Ep. II, 3. Eaqve conſtat membris tribus: 1. ὑπογραφῇ, ſive ſubſcriptione. 2. ἐπιγραφῇ, ſeu inſcriptione & 3. εὐχῇ, vel pio voto. Primum quod attinet, ubi exprimitur perſona ſcribens, actum fuit de ea ſuperius Theſi 6. Notetur autem hic, cur Autor noſter tam operoſe nomen, vocationem, officium, & genus ſuum indicet, & Epiſtolæ præfigat; ſcilicet, ut autoritatem ei conciliet, idqve duplici de cauſa neceſſarium erat; tam propter ipſum Judam, ut confirmaretur, DEUM à qvo vocatus erat, præſto ſibi adfuturum, animumqve & calamum ſuum directurum in meditatione & ſcriptione hujus Epiſtolæ, quam propter alios, ut doctrina ejus majori cum reverentia, & attentione ab Eccleſia reciperetur, neque enim abſqve legitima miſſione currebat, ſed vocatus erat à DEO ad Apoſtolatum, ideoqve non à ſeipſo, ſed ἀμέσως à DEO loqvebatur, invenitur enim in Apoſtolorum ſcriptis, experimentum Chriſti in ipſis loqventis: teſte Apoſtolo 2. Corinth. XIII, 3.

2. In ἐπιγραφῇ, ſive in ſcriptione deſignat Apoſtolus ſub-

jectum recipiens, hujus Epistolæ, ad qvos videlicet perscripta sit; nempe ad omnes in DEO Patre sanctificatos, & in Jesu Christo servatos, vocatos; id est universæ Ecclesiæ Christi membra qvocunqve loco illa versentur, & fidem in Christum profiteantur. Qvæ Petrus 1. Pet. I, 1. nominat advenas dispersos. Variant hic nonnihil codices in lectione; verus enim pro ἡγιασμένοις legisse videtur ἠγαπημένοις dilectis, qvod extare in Veronensi codice confirmat, Gagnæus & Beza, in duobus libris se legisse testatur, qvi insimul monet, minus proprie & accurate hic DEO Patri dilectionem tribui, cum potius dilecti in filio simus, teste Scriptura Rom. IIX, 37. Gal. II, 20. Eph. V, 2. & 25. Apoc. I, 5. Verum cum idem disertis verbis de Patre asseratur, Ioh. III, 16. Eph. II, 4. 2. Thessal. II, 16. 1. Ioh. IV, 9. & 10. de utroqve, imo tota SS. Triade, satis commode dici posse videmus, cum dilectio sit opus ad extra; illa vero sint indivisa. Calviniani Interpretes, Franc. Iunius; Phil. Pareus. Dan. Heinsius & Casp. Sibelius, ordinem verborum mutant, vocabulum τοῖς κλητοῖς loco movent, atqve alibi reponunt, dum sic legi volunt. Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi, vocatis à DEO Patre sanctificatis, & Iesu Christo servatis; Parum qvidem hoc faceret inter orthodoxos & τὴν ἡγιασμένην διδασκαλίαν profitentes, præsertim si illa adjuncta fidelium copulentur, non vero vocati, ab iis qvi in Christo Iesu servati dicuntur, in contextu separentur. Scriptura enim sæpius admittit ὕστερον πρότερον, qvid, qvod ii, qvi ἡγιασμένοι ἐν τῷ Θεῷ πατρὶ hic dicuntur: 1. Corinth. I, 2. ἡγιασμένοι ἐν Χριστῷ Ιησοῦ κλητοὶ ἅγιοι dicuntur? Verum cum illi nihil aliud hic intendant, qvam ut defendant & pallient impium illud dogma de vocatione hominum ad salutem particulari, qvemadmodum jam nominati Autores in explicatione hujus loci multum desudant, & prolixissime inter illos Casparus Sibelius, merito retinemus lectionem priorem, quam & plurimi, & vetustissimi codices approbant, nec in gratiam aliorum qvicqvam scripturæ addi, vel detrahi, aut in ea perverso sensu mutari concedimus, memores severi istius præcepti divini Deut. IV, 2. c. XII, 32. & comminationis Christi Matth. V, 19. Apoc. XXII, 19.

Argu-

Argumenta, qvibus absurdam hanc sententiam defendere nituntur adducere, non est nostri instituti, cum illa jam dudum à Theologis nostris prostrata sint, Sibeliusqve nihil aliud agat, quam qvod crambem sæpius coctam reponat. Inscribit itaqve Apostolus hanc suam Epistolam omnibus iis, qvi per tubam Evangelii vocati sunt ad participationem vitæ æternæ, qvi per meritum Christi salvificum ne in æternum pereant, servantur, conservatio namqve redemptionis est efficacia, qvia neqve à nobis, neqve penes nos est salus nostra, sed à Christo, hinc Christus Iohan. X, 28. Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neqve rapiet eos qvisqvam è manu mea, qvos Pater cœlestis Spiritu suo sanctificavit & renovavit, ut liberati à peccato, & justitiæ mancipari, sisterent membra sua serva justitiæ ad sanctimoniam Rom. VI, 17. quos enim Christus redemit, hos DEUS Pater per Evangelium vocat ad agnitionem Christi, qui a. vocantur, hi etiam sanctificantur ac renovantur. Tertium hujus salutationis membrum est εὐχὴ, sive pium Judæ votum; quo ipso apprecatur cunctis fidelibus multiplicationem misericordiæ divinæ, siquidem illa est ut causa efficiens bonorum omnium, & fons vitæ Psal. XXV, 6. intima, qua visitavit nos oriens ab alto Luc. I, 28. fons salutis Esa. XII, 3. qui ubi manaverit & scaturierit, ibi aquarum spiritualium summa est ubertas. Ubi vero obstructus fuerit, omnia necesse est arescant & contabescant: illa omnia creata alit, alta conservat, conservata variis beneficiis cumulat, ex hujus misericordiæ fonte, pluvia tam super injustos, quam justos profluit; Hæc facit, ut Sol tam super malos, quam bonos exoriatur, ac utrosque illuminet, calefaciat & recreet Matth. V, 45. Et est beneficium apprime nobis necessarium; hac enim si caremus, nihil aliud nobis expectandum, qvam ira & damnatio, ex naturali justitia DEI profluens, misericordia vero est ἐπιείκεια & temperamentum illius rigidæ justitiæ; hanc merito tam anxie implorarunt sancti, ut David Psalm. LII, 1. miserere mei DEUS secundum magnam misericotdiam tuam v. 3. secundum amplitudinem miserationum tuarum dele defectiones meas, Psalm. CXIX, 77. ob-

veniant mihi misericordiæ tuæ, ut vivam, Esa. cap. LXIII, 15. multitudo viscerum & miserationum tuarum super me Domine; & Jerem. in Thren. cap. 3. Misericordia Domini quod non sumus consumti, quia miserationes ejus non defecerunt, de qua Syracides exclamat; o quam ingens est misericordia DEI Domini nostri, quamque obvia sancte conversis ad eum; hanc immensam DEI misericordiam multiplicari exoptat Apostolus Judas, quæ vox proprie notat augmentum rei alicujus, aliud ad aliud addendo, ut firmius & quam maxime stabile fiat, quemadmodum ita capitur, Psalm. LI, 4. Esa. LV, 7. Genes. XXII, 17. Atque hoc sensu misericordia DEI in se considerata, multiplicari non potest, est enim infinita, sicut DEUS ipse infinitus est; infinito vero nihil accedere potest, ideoque dicitur DEUS dives misericordia Ephes. II, 4. abundans intima misericordia Jac. V, 11. & miscericordiæ ejus magnæ & amplæ appellantur Psal. CXIX, 156. qvæ non finiuntur Thren. III, 22. & qvas cernere licet in omnibus operibus ejus Psalm. CXLV, 9. hæc igitur in se multiplicari non potest, sed multiplicari dicitur respectu nostri, quia nobis suo ordine, tempore, modo, gradibus & incrementis à DEO exhibetur, cum in hac vita, teste Paulo 1. Corinth. XIII, 12. ex parte tantum cognoscamus; hinc ipse dicit DEum augere fructus justitiæ nostræ 2. Cor. IX, 10. & c. XII, 9. optat fidelium καταρτισιν, consummationem; similiter precatur, ut perficiamus nostram sanctificationem in timore DEI, 2. Corinth. VII, 1. Alterum beneficium qvod fidelibus conferri exoptat Apostolus Judas, est multiplicatio pacis; pax autem multiplex datur, præcipue eminent externa & interna; utraqve homini proficua & summe necessaria, præsertim hæc: Illam quoque gentiles in salutationibus suis vovebant, qvod passim observare licet in scriptis illorum, & hæc non leve est donum DEI, qvod bonus qvisqve amat & exoscultatur: imo, qvod ipsa Scriptura serio nobis inculcat, & commendat; nempe, si fieri possit, qvantum in nobis est, pacem cum omnibus hominibus colamus, Rom. XII, 27. Atqve hinc jubemur orare pro Magistratibus, ut sub illis cum omni tranqvillitate & pace vivamus 1. Timoth. II, 1, 2. Hæc, interna puta,

ta, multum discrepat à temporali & mundana pace, quæ proprie non est pax, nisi præcedat interna pax, quod ipse DEUS testatur, qvando inquit Ierem. VI, 14. Curabant contritionem filiæ populi mei, dicendo: pax, pax, & non est pax. Et Paulus 1. Thess. V, 3. cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis imminet interitus. Sancta hæc & aurea pax, quæ in statu innocentiæ inter DEum & homines vigebat, per peccatum Protoplastorum rupta est, iniquitates enim nostræ disterminant inter nos & DEum nostrum, & peccata nostra faciunt, *ut occultet faciem à nobis, ne exaudiat* Esa. LIX, 2. Quod ipsum fatetur David Psal. XXXIIX, 4. *non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum, cogitationes enim se mutuo accusant* Rom. II, 15. *Est ut mare fervens, quiescere non potest, & aquæ ejus expellunt cænum & lutum; ita nulla pax est improbo*, Esa. LVII, 24. 25. DEus vero, qui Dives misericordia misertus creaturæ suæ, homini, qui de pace ineunda ne semel quidem cogitabat, liberrimo suo beneplacito motus, pacem per Christum, *Principem illum pacis* Esa. IX, 6. obtulit: Testes sunt angeli, qui unam & solam causam pacis hominibus in terra tributæ propensam erga homines, DEI voluntatem statuunt, Luc. II, 14. Christus itaque est columba illa, quæ nobis olivæ folium, i. e. pacem attulit, cujus typus præcesserat, Genes. IIX, 11. hic æternam nobis restituit & reliquit pacem, dicens; Joh. XIV, 27. *Pacem relinquo, vobis pacem meam do vobis: Justificati igitur per Christum pacem habemus cum DEO per quem & aditum nacti sumus, fide, in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ DEI.* Rom. V, 1. Est igitur hæc pax nihil aliud, quam reconciliatio hominum cum DEO, tranquillitas conscientiæ, & studium concordiæ cum omnibus hominibus, quam Judas in fidelibus multiplicari precatur à DEO, quia hic est *Dominus pacis qui semper suis dat pacem omnimodo.* 2. Thess. III, 16. Post misericordiæ & pacis πληθυσμὸν, subjicit Apostolus 3. modum ac vinculum misericordiæ & pacis exoptatæ, charitatem: ejusque multiplicationem, tunc etenim, attestante Paulo Coloss. III, 14. 15. *Pax DEI est gubernatrix in cordibus nostris*, quum velut unum corpus grati sumos, & charitate induimur, quæ est connexus

xus perfectionis; charitas vinculum illud ſpirituale eſt, quod Chriſtum cum fidelibus, & fideles inter ſe connectit, hac charitate Chriſti, ſic conſtringimur, ut *qui vivimus, non vivamus nobis ſed ei, qui mortuus eſt, & reſurrexit pro nobis*, 2. Cor. V, 14. Hujus virtutis ὑπεροχὴν Apoſtolus 1. Cor. XIII. Ita commendat, ut omnia reliqva dona Spiritus Sancti charitate deſtituta conſiſtere non poſſe aſſerat; qvando inquit v. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens, quia cognitio inflat*, id eſt vanitati & arrogantiæ veluti materiam ſubminiſtrat, quatenus charitate deſtituitur, *charitas vero ædificat & inſtruit proximum* 1. Cor. IIX, 1. Hinc Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. eleganter inquit; *Sola charitas diſcernit filios regni à filiis perditionis:* Hujus doni multiplicationem fidelibus apprecatur Judas, quæ fit, cum magis, magisque in cognitione *DEI* ejusque voluntatis proficimus; quantum enim vere fideles cognoſcunt, tantum diligunt. Creſcente itaque cognitione *DEI*, creſcit etiam amor *DEI*, hinc Paulus; *hoc oro*, inquit, *ut charitas veſtra magis ac magis exundet in cognitione & omni ſenſu.* Phil. I, 9. & 1. Theſſ. IV, 10. Hoc fidele conſilium dat Theſſalonicenſibus: *precamur vos fratres, ut excellatis in charitate*: atque tantum de ſalutatione Judæ.

11. Sequitur nunc *Secunda Epiſtolæ pars*; *Exordium* videlicet *propoſitione junctum*, quod duobus, ut antea dictum, verſibus includiur, quorum verba ſunt ſequentia verſ. 3. ἀγαπητοὶ πᾶσαν σπουδὴν ποιούμενος γράφειν ὑμῖν, ἀνάγκην ἔσχον γράψαι ὑμῖν παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει; verſ. 4. Παρεισέδυσαν γάρ τινες ἄνθρωποι οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, ἀσεβεῖς, τὴν τοῦ θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν, καὶ τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι. *Dilecti, quum omne ſtudium adhibeam, ut ſcribam ad vos de communi ſalute, neceſſe habui vobis ſcribere, adhortans vos, ut decertetis pro fide, quæ ſemel tradita eſt ſanctis* verſ. 5. *Nam ſubrepſerunt quidam homines, jam olim præſcripti in hoc judicium, impii, qui DEI noſtri gratiam transferunt ad laſciviam, & ſolum illum Dominatorem DEum, & Dominum noſtrum*

Jeſum

JEſum Chriſtum negantes. Initio benevolentiam lectorum, ad qvos ſcribit hanc Epiſtolam, captaturus, qvo magis προθυμίαν & benevolentiam ſuam exponeret, nominat eos ἀγαπητὸς dilectos, id eſt diligibiles, ſeu dignos, qui diligantur, qvo ipſo duo potiſſimum innuit; 1. Animum ſuum, Chriſtiana ſimplicitate, Apoſtolica veritate, & fraterna charitate flagrantem ipſis aperit, ac oſtendit, ſiqvidem hoc ab illo exigebat jus vocationis ad Apoſtolatum; Apoſtoli erant ſpirituales fidelium *Patres, qui eos in Chriſto Jeſu per Evangelium gignebant.* 1. Corinth. IV, 15. Imo *nutrices* eorum audiebant, de qvo Paulus, *Fuimus*, inqvit, *manſveti, in medio veſtri, ut ſi nutrix foveret liberos ſuos, & ita cupidi veſtri gratum erat nobis impertiri vobis non ſolum Evangelium DEI, ſed etiam noſtras ipſorum animas, quod chari nobis eſſetis*; 1. Theſſ. II, 7. 8. merito igitur Judas, tanqvam ſpiritualis Parens & nutrix fideles amat & Ἀγαπητὸς, dilectos appellat; *amat eos, quia homines, magis amat, quia fratres, & membra, maxime amat, quia filii ejus ſpirituales erant*, inquit Sibelius ad hunc locum, Concion. 14. in Epiſt. Judæ pag. 70. 2. Animos fidelium ſvaviſſima hac compellatione inflammare vult, ut ipſum redament, & doctrinæ ac admonitionibus ſuis eo ferventius locum dent, jus enim naturæ hoc exigere videtur, ut diligamus & complectamur eos, qui diligunt & complectuntur nos, *debent* enim præter hæc *pii Auditores agnoſcere eos, qui laborant inter ipſos, & præſunt illis in Domino, & admonent illos, ſimulque ſupra modum charos ducere*, juxta monitum D. Pauli 1. Theſſal. V, 12. 13. Poſtea exponit Cauſam impulſivam προηγουμένην, quæ ipſum impulerit ad ſcribendam hanc Epiſtolam, nimirum *ſtudium ſummum, communem ſalutem promovendi*, quod triplici adjuncto teſtatum facit; 1. quod non partem aliquam, ſed omne ſtudium ad ædificationem Eccleſiæ impendat, *ſtudium* autem, verba ſunt Ciceronis lib. 1. de invent. *eſt animi aſſidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluptate occupatio*, ut cum Paulo dicere poſſit: *Quicquid in me ſitum eſt, promptum eſt ad vobis evangelizandum & ſerviendum* Rom. I, 15. & 2. Cor. XI, 28. *præter ea, quæ extrinſecus accidunt, incumbit mihi quotidiana cura Eccleſiarum*; atque hoc pacto *ſtudeat ſe ipſum probatum*

batum ſiſtere DEO operarium, qui non erubeſcat. 2. Cum abſens corpore ad Eccleſiam coram verba facere non poſſet, nihil prius, nihil antiquius habuit, quam ut reliquis omnibus poſthabitis ad illam ſcriberet, ſeqvutus exemplum Pauli, qui *qvum præſens prædicaverat, abſens ſcripſit*, 2. Cor. XIII, 2. & Petri, qui ſtudium ſuum ædificandi Eccleſiam commendaturus, *ſtudebo*, inquit, *ut ſubinde vos poſſitis poſt exitum meum horum mentionem facere* 2. Petr. I, 15. qvibus nihil aliud qvam Epiſtolas ſuas indigitat, hiſce enim non ſolum brevi poſt obitum ſuum profuit, imo etiam nunc prodeſt Eccleſiis. 3. Teſtatur ſtudium ſuum, quod non de rebus flocci faciendis, ſed magni momenti, qvippe communem ſalutem nobis per Chriſtum partam concernentibus, ad fideles ſcripſerit. Communem dicit ſalutem, non ex mente Origenis & ſectatorum ejus, olim docentium, *omnes homines, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, ſacrilegiis, & omnis generis impuritatibus finierunt*, quid? quod magis, *ipſum Diabolum atque Angelos ejus, quamvis poſt longiſſima tempora*, (ſupplicia ſcilicet mille annorum) *purgatos atque liberatos ſalvandos eſſe*, Auguſtin. de hæreſ. c. 43. Siquidem hoc ſanæ rationi & Scripturæ è diametro adverſatur; quæ docet, pios in æternum cœleſti gaudio fruituros, impios vero cum Diabolo & angelis ejus in æternum cruciatus gehennæ toleraturos eſſe Dan. XII, 2. Matth. XXV. 34. 41 & 46. Ideoque pari facilitare, qva aſſeritur, rejicitur: Potius communem vocat ſalutem, qvia ipſi cum fidelibus ad qvos ſcribebat communis erat, *una* etenim eſt omnium credentium *fides*, *una* Evangelii *doctrina*, *unus omnium ſervator Dominus Jeſus Chriſtus*, una itaque & illa quidem communis omnibus piis, ut ſit ſalus neceſſe eſt, quæ eſt ἀπολύτρωσις & redemptio noſtra facta per Chriſtum, *quia in nullo alio ſalus eſt, præter quam in iſto*, Actor. IV, 12. Hiſce demum ſubjicit Apoſtolus Judas cauſam προσαταξικτικὴν epiſtolæ, quæ fuit neceſſitas, qua aſtrictus hac vice ſcriptionem ſuſceperat; Inter alia qu: ipſum ad hanc neceſſitatem adigebant, qualia erant, *Lex naturæ* omnes homines obligans, & illis quandam neceſſitatem inji ens ut alii aliorum procurent ſalutem: & officium veri Chriſtiani, cui incumbit, proximi ſalutem promovere, & alios adhor-

adhortari, Hebr. X, 25. facile primas obtinebant tum vocatio & officium Apoſtolatus; fatente Apoſtolo 1. Cor. IX, 16, *Si evangelizem*, inquit, *non eſt quod glorier; neceſſitas enim mihi incumbit; Væ autem mihi niſi evangelizem:* tum periculum quod Eccleſiæ imminebat ab iis poſtoribus, niſi enim præmonuiſſet eos Judas, quantopere eis neceſſaria hæc cohortatio eſſet, forte aliquanto tardiores ac pigriores in perlegenda hac epiſtola fuiſſent, qvum vero ex præſente rerum neceſſitate ſe ſcribere præfertur, perinde eſt, ac ſi claſſicum caneret, qvo torporem illis excuteret. Poſtquam Apoſtolus noſter cauſas, quæ ipſum ad ſcribendum hoc epiſtolium impulerunt ac incenderunt, recenſuit, ad ipſam propoſitionem progreditur, ubi primo ipſam hortationis ſummam indicat, deinde occaſionem hujus adhortationis annectit; ſumma hortationis continetur hoc axiomate compoſito; *Hortor vos, ut decertetis pro fide, quæ ſemel tradita eſt ſanctis*: hancque propoſitionem in ſequentis Epiſtolæ verbis ſolidiſſimis rationibus & clariſſimis exemplis confirmat, ut in methodo deinceps apparebit; Verbo παραϰαλεῖν, qvod proprie & ſecundum ſcopum Apoſtoli aptiſſime vertitur *Exhortari*; minus accurate *deprecari*, ut vetus legit, indicatur finis ſcriptionis; ſiquidem hunc ſcopum Apoſtoli in ſcribendo plerumqve præfixum habuere, hinc Paulus Timotheo injungit, *ut intentus ſit exhortationi*, 1. Tim. IV, 13. & Tito cap. I, 9. *ut potens ſit exhortari per doctrinam ſanam*; decertatio pro fide, quæ ſemel tradita eſt ſanctis, materiam propoſitionis oſtendit. Ubi conſideranda fides, & pro fide pugna; Fidei vocabulum eſt πολύσημον, quod alio atque alio modo ſumitur, ideoque hic diverſæ ſeſe offerunt interpretationes; Calviniani hic intelligi volunt fidem juſtificantem, ita enim Franciſcus Junius Tom. 1. operum Theol. in notis ad Epiſt. Judæ, pag. 1633. *Hæc igitur judicio meo convenientiſſima eſt omnium interpretatio, fidem hic propria ſignificatione ac non figurata dici, & quidem eam, qua juſtificat pios in Chriſto Jeſu*; & Caſp. Sibelius Tom. 4. oper. Theol. Concion. 15. in Epiſt. Judæ; pag. 77. Verba ferme eadem habet; *Hæc igitur meo judicio convenientiſſima eſt omnium interpretatio; fidem hic non figurata ſed propria ſignificatione dici, & quidem eam,*

quæ justificat hominem in Christo Jesu. Nostri vero Theologi per fidem hic non intelligunt fiduciam aut fidem justificantem, sed potius *doctrinam fidei*, quo sensu capitur à Paulo 1. Tim. IV, 1. ubi opponitur doctrinæ dæmoniorum, Gal. I, 23. ubi Paulus dicitur prædicare *fidem*, id est, *doctrinam quam antea impugnaverat*, & cap. III, 2. & huic significationi favet verbum Græcum quod additur, scil. παραδοθεῖσα; hoc est tradita, non tam fiduciæ cordis, quam doctrinæ Evangelii conveniens, videatur B. D. Meisnerus Anthropolog. decad. 2. disput. 9. thes. 48. Hujus fidei adjunctum est, quod dicitur *semel tradita sanctis à DEO:* Ex quo Calviniani talę exstruunt porisma, fides dicitur semel tradita, ergo fideles eam nunquam amittere possunt; Hinc Sibelius loc. cit. pag. 78. *Semel fides electis datur, semel complete justificantur; nunquam etiam fides justificans semel data, semel accepta totaliter vel finaliter amittitur, est enim fidelis, sicut arbor plantata ad rivos aquarum, cujus folia non decidunt* Psal. I, 3. hæc ille; Similia hilce profitentur Junius, & Pareus, quorum hic, d. l. pag. 1051. *Vocabulum ἅπαξ, inquit, non caret ἐμφάσει: ac sumitur, ut & v. 5. pro ἅπαξ ἁπλῶς, hoc est planissime & constantissime datur fidelibus electis; adeout nunquam convelli possit, nunquam mutari, juxta dicta. 1. Cor. I, 8 qui confirmabit etiam vos usque ad finem inculpatos; & 1. Thess. V, 24.* Sed respondemus cum Orthodoxis; fidem maxime ab electis *totaliter*, quamvis non *finaliter* amitti posse; Siquidem id non solum dicta Ezech. XIIX, 26. cap. XXXV, 12. 13. Luc. IIX, 13. Joh. IIX, 34. Rom. IIX, 12. &c. Sed etiam exempla eorum, qui in peccata prolapsi, revera, & totaliter fidem & Sp. S. amiserunt, abunde testantur, quicquid etiam ogganniant Adversarii dicti, utpote, *primorum parentum*; Gen. III. Ephes. IV, 24. *Aaronis* Exod. XXXII, 1. & seq. *Davidis* 2 Sam. XI, 4. 13. 14. 15. cap. XII, 9. 12. *Petri* Matth. XXVI, 27. *Thomæ* Joh. XX, 25. *Galatarum*; Gal. V, 46. & aliorum; Consideratur enim fides, aut ratione intentionis DEI, aut ratione subjecti, in quo hæret; priori respectu semel tantum datur, quia *dona DEI sunt ἀμεταμέλητα* Rom. XI, 29. & DEus nunquam subtrahit datam gratiam, sed eo fine dat, ut à fidelibus retineatur & conservetur, quin potius quod in se est, confirmare & adaugere

eam

eam nititur ; prout autem in ſubjecto conſideratur, longe alia eſt ratio, renati enim quamdiu ſervant, ac firmiter retinent ſemel datam illam fidem, filii DEI ſunt ac manent, *nemoque illos ſeparare poteſt à dilectione DEI*; Rom. VIII, 38. 39. quando autem peccatis & ſceleribus indulgent: Spiritui Sancto reſiſtunt, atque hoc pacto ſemel datam fidem ſua ſponte ac culpa totaliter amittunt, habet enim homo libertatem reluctandi, ſed non habet libertatem aſſentiendi gratiæ, ad malum liberum eſt, ad bonum vero ſervum eſt noſtrum arbitrium. Deinde nondum evicit adverſa pars vocabulum ἅπαξ hoc in loco eſſe adverbium numeri: atque idem denotare, quod *una vice, planiſſime & conſtantiſſime, immutabiliter*, ut loquitur Pareus; quemadmodum ſumitur 2. Cor. XI, 25. Hebr. IX, 27. quin potius cum Noſtratibus dicimus, vocabulum ἅπαξ hic eſſe verbum aſſeverationis, ut idem ſignificet, quod *certo ac vere, prorſus, omnino*, qualiter uſurpatur Exod. XXXIII, 5. *Semel aſcendam in medio tui, & delebo te*, id eſt certe ac indubitate Pſal. 89, 36. אחת *ſemel juravi per ſanctitatem meam, Davidi non mentiar*; quaſi dicat vere, atque ſine omni dubio ipſi promiſi, ut & Pſal. LXII, 12. & in hac epiſtola v. 5. eodem ſenſu capitur, atque ita fides ſemel tradita dicitur, qvod nitatur veritate & conſtantia DEI, *apud quem non ineſt transmutatio, aut converſionis obumbratio* Jacob. I, 12. *qui que omnibus dat benigne, nec exprobrat, datumve* recipit ibidem v. 5.

12. Hujus fidei ſubjectum recipiens Judas dicit eſſe τὰς Ἁγίας *ſanctos*, nempe omnia & ſingula Eccleſiæ membra (non tantum *Electos*, qui finaliter ſervantur, ut vult Pareus d. l.) *quibus hic theſaurus à DEO concreditus eſt, & in teſtaceis vaſis repoſitus* 2. Cor. IV, 7. hincque dicitur à Petro *pretioſa fides* 2. Pet. I, 1. ſicut igitur *margarita & theſaurus non projicitur coram porcis*, ita nec hoc *ſanctum canibus datur*; Matth. VII, 6. Sed ſanctis, ſanguine Chriſti mundatis & ſanctificatis, iique admonentur, ἐπαγωνίζεσθαι τῇ πίστει, *decertare pro fide*, Vetus vertit *ſupercertari*; quo ipſo innuit Apoſtolus, eos qui fidem immaculatam ſervare ſatagunt, ad aſſiduam provocari pugnam; qvicquid enim carum ac pretioſum, multos experitur inſidiatores, ita etiam fides ampliſſimus

theſaurus plurimos invenit hoſtes, qvi vel inſidiis, vel aperta vi, ſi fieri poſſit, eam ſanctis ac fidelibus eripere conantur; ſiquidem jam tempore Judæ fanatici quidam impoſtores ſanctorum fidem non modo labefactare, ſed etiam penitus evertere & eradicare ſtudebant, adhibet igitur Apoſtolus emphaticum hoc vocabulum ἐπαγωνίζεσθαι, quod proprie ſignificat, *omni labore & intenſione certare: ἀγωνίζεσθαι*, ſimplex erat, & ſatis illuſtre, ſignificans certamina propoſita inter athletas, ſed compoſitum illuſtrius eſt, ἐπαγωνίζεσθαι, ſummo ſtudio reluctari; ut Plutarchus de Fabio Maximo ait; ἐπαγωνιζόμενος τῷ Ἀννίβαλι, hoc eſt, *certamen repetens & ſummo ſtudio iterum congrediens cum Hannibale*, ac convenit cum illo Syracidæ, cap. IV, 33. *certare ad mortem usque*, comparatione ſumta ab arte luctatoria & re militari; quemadmodum & reliqvi Apoſtoli ſæpius hac ſimilitudine utuntur, ita Paulus hortatur Philippenſes cap. I, 27. *ut inſtar fortium athletarum immoto greſſu perſtent in uno ſpiritu, uno animo concertantes per fidem Evangelii* & Tim. VI, 12. Timotheum, *ut militet bonam militiam*, atqve hinc univerſam hominis Chriſtiani panopliam deſcribit Epheſ. 6. per totum caput. Occaſionem, ſive Cauſam impulſivam προκαταρκτικὴν hujus propoſitionis qvod attinet, Apoſtolus eam proponit verſu quarto; Eſtqve nihil aliud qvam imminens periculum à falſis doctoribus & ſeductoribus fraudulenter Eccleſiam Chriſti invadentibus, quibus ut larvam detrahat, ingenium & mores ipſorum qvinqve potiſſimum modis deſcribit; 1. *ab aſtutia*, qva ſubrepſerant in Eccleſiam, eiqve periculum intenderant, ubi adhibet Apoſtolus vocabulum παρεισέδυσαν, id eſt, *oblique irrepſerunt, furtim & clam ſeſe inſinuaverunt*, qvod male ſibi conſciæ mentis documentum eſſe ſolet: Eſt enim δύειν, δύνειν ſive δύσσεθαι propria ſignificatione *illabi, immergi, influere, irrepere*, præpoſitio παρὰ (cujus multiplex alias in compoſitione uſus & ſignificatio eſt) hoc in loco videtur pro trans, vel præter accipi oportere, qvemadmodum dicimus παρὰ τὰ δίκαια δύνειν, *præter omne jus irrepere*, intrudere ſe inſinuando, notante Budæo in Comment. linguæ Græc. p. 85. atqve hos non incommode vocat Paulus παρεισάκτους Gal. II, 4. *ſubreptitios*; qvi

qvi ut Petrus loqvitur παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας 2. Petr. II, 1. Tertullianus lib. 5. adversus Marcionem *subintroductitios, ad explorandam libertatem, quam in Christo Jesu habemus, ut nos in servitutem adigant*: Reprehendit itaqve Judas impostores hoc vocabulo, qvod non vocati cucurrerint, & in ministerium se intruserint, qvales Christus *fures & latrones* vocat, qvia non per legitimæ vocationis ostium caulam ovium, (Ecclesiam) ingrediuntur, sed aliunde ascendunt, & fraudulenter irrepunt, Joh. X, 1. 2. prætexentes, se Christi & Ecclesiæ ejus esse ministros, cum utriusqve infensissimi essent hostes, norant enim, se nihil apud pios effecturos, nisi hypocriseos pallio se obtegerent, & exuta pelle lupina ovinam induerent, adeoqve imitarentur patrem suum Diabolum, qvi *transfigurat se in Angelum lucis*, 2. Cor. XI, 14. ut tenebras errorum cordibus filiorum lucis obducat; Non autem expresse hos Apostolus nominat seductores, sed individuo vago eos delineat, dicens, τίνες *quidam*, vel qvod indignos nomine eos arbitraretur, vel qvod fideles eo magis caverent ab omnibus, qvovis modo corruptelas inducere studentibus, atque certe tenerent, esse in ipsa Ecclesia, & in sinu ejus ali, (τίνας ἀνθρώπους,) qvi vere fideles à fide semel tradita abducere molirentur. 2. Describuntur à judicio Scripturæ, qvod *jam olim descripti sint in hoc judicium*, ubi attendi meretur, per descriptos hosce non intelligi reprobos ex absoluto DEI decreto & liberrima sua voluntate, ad damnationem prædestinatos, pro ut impie ac blaspheme ex hoc loco elicere volunt Calviniani; Pareus l. c. & Junius ae Sibelius, ut & Beza Volum. 1. oper. pag. 684. aliiqve nullum enim indicium istud evincendi hic apparet, siqvidem præscripti jam olim ad hoc judicium dicuntur illi, de qvibus Paulus 2. Tim. III, 1. 2. 3 & seqvent. Petrus Ep. 2. cap. 2. & cap. III, 3. scripsit & prædixit, imo, qvi etiam in V. T. præfigurati fuerunt, utpote Esa. LIX. 3. 4. 5. & seq. Dan. XII. Zachar. V, 3. qvemadmodum verbum προγράφειν etiam usurpatur Rom. XV, 4. ὅσα προεγράφη; videlicet ut præscripti, idem sit qvod à Scriptura olim descripti, & vivis coloribus delineati, qvam sententiam confirmat Oecumenius in expositione hujus loci, qvando inqvit; *Præscriptos dici*

ci arbitror, de quibus antea & Petrus, & Paulus, & ipse Christus prædixerint, Luc. XVII, 23. 24. venturos: & B. Lutherus tom. 3. p. 396. Neqve vocabulum πάλαι olim idem est qvod ab æterno, anteqvam mundus conderetur, nullum enim locum parallelum, ubi id significet, vocabulum hocce adducunt, nec facile adducere poterunt; sed potius significationem vocis, dudum, vel antea infert, qvod probamus ex locis similibus: Matth. XI, 21. Marc. XV, 44. Luc. X, 13. Hebr. I, 1. 2. Petr. I. Deinde, posito, non vero concesso, utut maxime hic æternam impiorum ad exitium prædestinationem sive reprobationem intelligere qvidam velint; non tamen inde seqvitur, *quosdam (& quidem maximam partem hominum,* ut Calviniani statuunt,) *à DEO absolute & simplici beneplacito, sive potius odio reprobatos, & æternæ damnationi addictos esse,* sed determinate & conditionaliter, qvatenus nempe prævidit, ac præscivit finalem eorum incredulitatem & duritiem cordis; *Causa enim reprobationis,* (verba sunt D. Meisneri in Antropol. Decad. 2. disput. 10. & ultima) *promotrix, non est alia, quam prævisa hominum incredulitas & impœnitentia; quia, sicut DEus in tempore neminem damnat, nisi propter ἀπιστίαν actualem; sic & ab æterno neminem reprobare vel damnare decrevit, nisi propter ἀπιστίαν prævisam: ut igitur solus quidem DEUS condemnat homines, non tamen ex absoluto odio; sic & solus reprobavit, non tamen a, nisi eos, quos finaliter impœnitentes fore prædivit. Et hanc ab causam recte negatur, decretum reprobationis esse absolutum, sed potius est limitatum, & cum respectu futuræ incredulitatis adjunctum, ut ita duabus causis absolvatur; quarum altera nominari potest prima, & est voluntas DEI; altera primæ subordinata, vel impellens, & est prævia hominum impœnitentia & ἀπιστία;* qvam sententiam ibidem prolixe ac solide dictis Scripturæ, argumentis ex analogia fidei desumtis, ac testimoniis Patrum confirmat, & postea Adversariorum sophismata & φλυαρίας diluit ac dispellit. Describuntur præterea seductores, in enarratione occasionis hujus propositionis ab alio adjuncto, nempe, 3. à religione & studio, qvando uno verbo ab Apostolo nominantur, Ἀσεβεῖς, *Impii* id est vacui omni pietate, & scatentes impietate, qvo nihil

mise-

miſerius homini accidere poteſt qvemadmodum enim ἐυσέβεια *totum complectitur cultum divinum*, 1. Tim. IV, 8. cap. VI, 6. *caput eſt ſcientiæ* Prov. I, 7. *& ſcaturigo vitæ, ad recedendum à tendiculis mortis* cap. 14, 27. Ita ἀσέβεια, eſt mater omnium cæterorum peccatorum, & fons omnis mali, mortis temporalis, ſpiritualis, & æternæ: teſtis eſt Eli ſummus Pontifex, & in populo Dei Sacerdos; *Si*, inqvit, *peccaverit ullus in alterum, judicabit eum magiſtratus, ſed ſi in Jehovam ullus peccet, qvis oret illum*, 1. Sam. II, 14. & Paulus Rom. I, XXI, 26. *Gentes*, ait, *Deum quem noverunt, ut DEum non glorificarunt: propterea tradidit eos DEus fœdis affectibus*. Hoc nempe erat initium, & fons omnium illorum peccatorum, qvorum longum poſtea catalogum recenſet, ut igitur pii, qvi DEUM ex toto corde venerantur ἐυσεβεῖς dicuntur, ita hi, *qui DEum profitebantur ſe ſcire, ſed factis negabant*, Tit. I, 16. *formam pietatis habebant, ſed vim ejus negabant*, ab Apoſtolo dicuntur ἀσεβεῖς. 4. Deſcribit ulterius Apoſtolus noſter hos Empedas à vitæ genere, qvod nempe *DEI noſtri gratiam transferant ad laſciviam*, per gratiam DEI noſtri, intelligit doctrinam Evangelii de gratia DEI erga credentes in Chriſtum, ſive Chriſti beneficia in Evangelio nobis gratioſe oblata, de qvibus Paulus, *Gratia*, inqvit, *ſalutifera illuxit omnibus hominibus* Tit. II, 11. Remiſſio etiam peccatorum & vita æterna, qvam Evangelium annunciat, ſolius DEI gratiæ in Chriſto Jeſu accepta referenda, Epheſ. II, 8. Tit. III. 4. 5. hanc gratiam DEI ſeductores iſti tranſtulerunt in alelgeiam; μετατιθέναι enim hic eſt, à ſuo vero fine ad alienum transponere, ac transferre: verus ac legitimus finis doctrinæ de gratia DEI eſt, *ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, ac juſte, & pie vivamus in præſenti ſeculo*, Tit. II, 11. 12. at illi doctrinam hanc à fine ſuo genuino tranſtulerunt ad alienum, & impium: materiam pietatis converterunt in materiam impietatis, quodque ipſis cauſa ſanctificationis eſſe debebat, tranſtulerunt in fomitem laſciviæ, atqve adeo vitam in mortem; cœlum in inferoum, Chriſtum in Belialem, lucem in tenebras verterunt, more eorum, qvi ex doctrina Pauli de juſtificatione per fidem ſine operibus, licentiam peccandi colligebant, dicentes, *faciamus mala, ut eveniant bona*, Rom.

III, 8. *permaneamus in peccato, ut gratia auctior fiat.* Rom. VI, 1. *qui resurrectionem contendebant jam esse factam* 2. Tim. II, 18. qvales erant *Nicolaitæ, qvi tenebant doctrinam Balaam & docebant pios, ut ederent ex iis, quæ simulacris erant immolata, & ut scortarentur* Apoc. II, 14. 15. *Gnostici*, qvi etiam à nonnullis vocati sunt *Borboriti*, qvasi cœnosi propter nimiam turpitudinem, qvam exercebant in mysteriis suis Aug. l. de hæres. c. 6. Simoniani, *qui detestandam ac nefandam turpitudinem indifferenter utendi fœminis*, docebant: atqve hinc Apostolus adhibet vocabulum ἀσελγείας, qvo denotatur proprie *effœminata, cinædica, & immoderata lascivia*, ea denique intemperantia, qva homo omne genus voluptatum venatur ac colit, ut luxuria diffluat; qvemadmodum in hac significatione & alibi sæpius ulurpatur, à Paulo Rom. XIII, 13. 2. Cor. XII, 21. Gal. V, 19. Eph. IV, 19. à Petr. I. ep. IV. 3. 2. ep. II, 18. & derivatur hæc vox, ut qvidam volunt, à Selga, Oppido Cappadociæ, vel potius Pisidiæ, cujus cives luxus & lascivіæ nomine valde infames fuere; videatur Plinius lib. 15. natural. Historiæ, cap. 4. & lib. 23. cap. 4. ubi ait, *incolas hujus civitatis quando vires ex nimia voluptate, & intemperantia debilitarant, oleo nervos ungere solitos fuisse, quod Selgiticum appellarunt*, qvæ tamen omnia contra legem naturæ, & propriæ conscientiæ dictamen: *puram enim corporis custodiam illa jubent*, probante Paulo Rom. I, 21, 24. 5. Denique describuntur hi fanatica doctrina sua impia, ac erronea, *quod* videlicet *solum illum herum DEum & Dominum nostrum Jesum Christum negent*, qvod totidem fere verbis confirmat Petrus 2. ep. II, 1. qvando inqvit, *quod Dominum, qui ipsos mercatus est, abnegent*, unde patet, qvam tetram ac blasphemam hi impostores professi sint doctrinam: *si* enim *in cognitione Jesu Christi vita æterna posita est*, Joh. XVII, 3. Certe in ignorantia, vel qvod magis est abrogatione hujus nostri Salvatoris, nihil aliud, qvam æterna damnatio posita erit; qvod innuit Apostolus Johannes, qvando inquit: *quicunque Spiritus non profitetur Jesum Christum in carnem veniisse; ex DEO non est*, 1. Joh IV, 3. neqve solum idipsum doctrina, sed etiam impia ac scelerata vita faciebant, qvod patet ex antehabito discursu; Intelligitur autem per hæc verba, solum illum

verum DEUM, ac Dominum noſtrum, ſolus DEI filius Jeſus Chriſtus, verus, coëſſentialis, & coæternus DEUS cum Patre, & δεσπότης, ſive Dominus noſter, *qui ſanguine ſuo proprio nos ſibi acquiſivit*; Fallitur itaqve *Enjedinus*, & omnes *Photiniani* cum eo, quando ad hunc locum, ex qvo etiam inter alia Divinitas Chriſti vindicari, ac evinci poteſt, ſatis frivole excipit; *Vocem θεῦ ad Patrem, κυρίε vero ad Filium referri debere*, (*ſiquidem articulus τὸν præponitur utrique voci, quod non fit, niſi de una eademque perſona eſſet ſermo*,) multo minus obeſt huic aſſertioni, varietas lectionis, in qua duo reperiuntur articuli; quamvis enim vetuſtiſſimi codices ita legerent, ſunt tamen illæ particulæ non copulativæ, ſed ἐξηγητικαὶ, ut ſæpius in aliis ſcripturæ locis, 1. Cor. IIX, 6. Etſi enim DEUS Pater Luc. I, 19. Act. IV, 24. & alibi, jure creationis ac gubernationis δεσπότης dicatur, tamen & idem vocabulum competit etiam filio, jure redemtionis. Vid. de hac voce adverſus Photin. pluribus D. Præſ. Theol. nat. & revel. p. 511.

13. Hucusqve fuit *Exordium propoſitione junctum*, ſequitur nunc *Confirmatio* dictæ propoſitionis: Poſtquam enim de communi ſalute, & fide, ſemel tradita, ſervanda Apoſtolus fideles admonuerat, iisqve periculum, qvod ab aſſutis, & omni dolo inſtructis hoſtibus illis intendebatur, ab oculos poſuerat; Sollicite id ulterius agit, ut magis ac magis dicta ſua confirmet, atque hinc varia inducit argumenta ſuæ dehortationis: ab effectis pernitioſis, & quæ pœnas meruerunt, additis exemplis pœnarum graviſſimarum, qvas ab ejusmodi monſtris ob incredulitatem, & turpiſſimum gratiæ abuſum divina vindicta repetiit, ita inferens: *DEus populum ſuum, Angelos ſuos, itemque Sodomitas & alios graviſſime punivit; quia ſeſe ultro peccatis coinquinaverant*, v. 5. 6. 7. *Hi autem ſeductores ſcelera antea dicta*, v. 4. *patrarunt, & peccatis ſe ulterius inquinant; E. graviſſima & illos manebit pœna. Concluſio* eſt in confeſſo, ex hoc fundamento, *paria paribus debentur*, quod probat v. 11. 12. 13. *Antecedens* Judas confirmat v. 5. 6. 7. *Conſequens* v. 8. 9. 10. Primum exemplum inducit v. 5. Ὑπομνῆσαι δὲ ὑμᾶς βέλομαι εἰδότας ὑμᾶς ἅπαξ τοῦτο ὅτι ὁ κύριος λαὸν ἐκ γῆς Αἰγύπτου σώσας τὸ δεύτερον τοὺς μὴ πιςεύσαντας ἀπώλεσεν·

Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Dominus cum populum ex Ægypto liberasset, rursus eos, qui non credebant, perdidisse: Præmittit Apostolus huic exemplorum inductioni, generale qvoddam proœmium, qvo causam impulsivam, qvare exempla ista pœnarum recenseat, subindicat, ac suum pro fidelium salute studium commendat, tum ad ipsorum conscientiam provocat, ne ignota proferre videretur, ut simul hoc pacto, eorum ad quos scribit benevolentiam captet: qvemadmodum enim Paulus Corinthios ab idolorum epulis avocaturus, neqvid tergiversari possent, præfatur, *sese non aliis rationibus usurum, qvam quas ipsimet optime nossent, ut intelligentibus*, inquit, *loquor, judicate vos quod ajo, ita* & hic Judas modeste se excusat, quod non tanqvam rudes & imperitos de rebus incognitis doceat, sed cum hominibus rerum divinarum scientia instructis agat, qvasi dicat; *non opinor opus esse, ut vos doceam, qvum nihil fugiat vos eorum, quæ dicturus sum, tantum in memoriam vobis revoco, qnæ jam semel didicistis, ne quæ scitis excidant.* Verbum ὑπομνήσαι enim notat recordationem, sive suggestionem ejus rei, quam quis jam novit & cujus debet recordari; *omnis enim scribæ doctus in regno cœlorum, similis esse debet cuipiam Patrifamilias, qui profert è thesauro suo nova & vetera* Matth. XIII, 52. Verbo βούλομαι indicat & comprobat propensam animi sui voluntatem, ad consulendum saluti piorum; Volo enim, id est, explicante Paulo, *quicquid in me situm est, promptum est ad vobis evangelizandum* Rom. 1, 15. & conveniunt hæc cum verbis Petri, qvando dicit; *quapropter non negligam vos de istis semper commonefacere, quamvis peritos & stabilitos in præsenti veritate; Justum autem duco, quamdiu sum in hoc tabernaculo, expergefacere vos per submonitionem* 2. Petr. II, 12. 13. Dupliciter autem hæc verba capiuntur, nonnulli vocem τοῦτο construunt cum verbo ὑπομνῆσαι in hanc sententiam; *volo autem vos istius rei commonefacere, nimirum, quam modo exposui, ut decertetis pro fide, quæ semel tradita est sanctis*; alii vero, & melius qvidem, referunt hæc verba ad sequentia: *Volo autem vobis in memoriam revocare, Dominum, qvum populum ex Ægypto liberasset*, &c. Sic enim verba apte cohærent, & ita Judas commode ingressum

greſſum facit ad prolationem, & omnes ad diligentem attentionem excitat. Primum qvod inducit ac proponit exemplum, eſt Iſraëlitarum: oſtendit enim, initio omnes quidem Iſraëlitas eductos ex Ægypto, ſed in deſerto poſtea perditos eos, qvi non credebant, hoc eſt, qvi non fidebant, DEUM eos introducturum in terram promiſſam, neque vita & moribus ſuæ vocationi reſpondebant; atqve hinc colligit, idem Chriſtianis in Eccleſia N. Teſtamenti eventurum, juxta effatum Pauli 1. Cor. X, 6. *Hæc typi noſtri fuerunt, ne concupiſcamus res malas, ſicut illi concupiverunt*; quaſi dicat, ſi DEUS Judæis non pepercit, neqve iis parcet, quibus ſors eſt æqvalis, qvod exemplum ſumtum eſt ex cap. 14. Numer. Cauſa efficiens hujus ſalvationis (recte enim vertitur σώσας, ſalvans aut ſervans, qvod non ſolum ex malis eripere eſt, ſed in boni qvoqve poſſeſſionem mittere, non ſufficienter autem à quibusdam liberare) dicitur ὁ κύριος Dominus, nempe DEUS, pro quo in qvibusdam codicibus legitur ὁ Ιησοῦς, notante Roberto Stephani. Neqve obſtat hæc lectio, *eſt enim Chriſtus Jeſus heri, & hodie, & in ſecula* Hebr. XIII, 8. Præterea Angelus ille, *qui præcedebat Iſraëlitas, interdiu per columnam nubis, ut deduceret eos per viam, noctu vero per columnam ignis, ut luceret eis*, Exod. XIII, 21. Nehem. IX, 12. *qui primogenita Ægyptiorum interficiebat*, Exod. XII, 29. & *incredulos proſternebat, ac puniebat*, nemo alius fuit, quam Angelus ille increatus, & magni conſilii Chriſtus Jeſus, Dominus noſter, qvi ſalvat populum ſuum; videatur liber Sapient. cap. XVI, 15. Qvicqvid etiam oggannit Enjedinus, *Chriſtum nempe ſecundum carnem nondum fuiſſe*, fuit enim ab æterno verus DEus cum Patre & Spiritu Sancto, Joh. IIX, 58. Anteqvam Abraham fieret, ego ſum, & Joh. XII, 5. Clarifica me Pater claritate ea, qvam habui, anteqvam mundus fieret; hinc Paulus, 1. Cor. X, 9. Iſraëlitas CHRISTUM in deſerto tentaſſe dicit, & Pſal. LXXVIII, 45. 46. qvod averſi ſæpius tentarint DEUM, & ſanctum Iſraëlis exacerbarint. Subjectum conſtituitur geminum, adjunctis totidem effectis contrariis: primum dicitur populus ex Ægypto liberatus, populus ſcilicet, non Ethnicorum, ſed Judæorum, qvi fuit, peculium DEI, gens ſancta & electa, ſemen Abrahæ, Iſaaci & Jacobi,

cui concredita erant eloqvia DEI Rom. III, 2. cujus erant adoptatio & gloria, & pactio & legis constitutio, & cultus, & promissiones; qvorum erant patres, & ex qvibus est Christus juxta carnem, Rom. IX, 4. 5. Hic populus per extensum DEI brachium è servitute Ægyptiaca, qua premebantur ab impio Pharaone, potenter eductus fuit, atqve ita σεσωσμένος, liberatus & servatus; alterum sunt increduli, qvi non credebant, & tunc postea perditi dicuntur; Non tribuit Apostolus perniciem hujus populi, tam scortationi, idololatriæ, obmurmurationi, alisqve peccatis, qvibut obnoxius erat, qvam *incredulitati*, qvæ est fons & lerna omnium malorum; *quisquis* enim *non credit*, *moritur in peccatis suis*, Joh. IIX, 24. atqve hæc etiam, teste Juda, causa fuit perditionis Israëlitarum, ut patet ex historia antea citata. Vocabulum τὸ δεύτερον nonnullam hic movet difficultatem, dum alii vertunt *secundo*, alii *rursus*, alii *postea*, atqve hinc variant interpretes in exponenda pœna, sive modo perditionis Israëlitarum, qvod patet ex verbis Cl. Heinsii in Exercit. sacr. super Epistol. Judæ: pag. 626. *Quomodo, ac quare* τὸ δεύτερον *dicatur, videndum erit*, inquit, *cum ante illud, cujus meminit hic, tempus, ante oppressum aqua, dico, Pharaonem, impiosque Ægypti, bis horrenda de impiis sumta fuisse supplicia, sat constet, primo de omnibus, cum diluvium, excepto cum paucis Noacho, omnes perdidit; Deinde & de Sodomitis, quorum ipse hic meminit. Alii igitur* τὸ δεύτερον *secundo, alii rursus, alii nequicquam definirent, postea, dixerunt; qui id cum glossa, quam ordinariam dicunt, ad eos qui peccarunt in deserto referunt. Inter cæteros & Lyranus, qui* τοὺς μὴ πιστεύσαντας, *eos quos destruxit in deserto DEUS, interpretatur; Thomas, cum* τὸ δεύτερον *secundo dixisset, deinde postea, ex Glossa interpretatur; qui & murmuratores, de quibus Num. XI. Exod. XVI. intelligendos ait: ut* ὀιμὴ πιστεύσαντες *sint, qui, ut ipse loquitur, Mosi non crediderunt: inter quos & Core & Abiran ab eo ponitur. Ne jam eos dicam, qui de temporali pœna ac aterna agunt; qui* τὸ δεύτερον *huc referunt. Quid si igitur ad eos, qui interierunt aqua, id restringamus? &c.* Commodius autem (salvo aliorum judicio,) ad eos spectare existimamus, qvorum fit mentio Num. XIV, qvi videlicet veritatem DEI in dubium vocarunt, ejusque

pro-

promiſſis nullam adhibuerunt fidem, in deſerto ſibi pereundum eſſe clamarunt, ſpes aureas de poſſeſſione terræ ſanctæ ſibi factas, irritas ac fallaces eſſe conqueſti ſunt; atque ob hoc *omnes*, nimirum per Synecdochen, qvi annum vigeſimum exceſſerant; (Nam parvulis & qvi annos viginti nondum habebant. DEUS pepercit; ipſosqve introduxit, ut fruerentur ea terra, quam natu majores ſpreverant, Num. XIV, 29. 31. Idqve tum ut reliqui eſſent, qvi publicum hoc divinæ miſericordiæ in poſteritatem documentum propagarent, tum, ut quidam ex illis, juxta DEI promiſſum, terram ſanctam poſſiderent & occuparent,) ab Exterminatore, ſcil. Angelo perditi dicuntur 1. Cor. X, 10. dum alii ab Amalekitis cæſi Num. XIV, 45. cœleſti flamma abſumti; Num. XVI, 36. à ſerpentibus interfecti Num. XXI, 6. terra abſorpti, Num. XVI, 32. alii in deſertis extincti; atqve ita nulli eorum terram ſanctam intrarunt; imo ne ipſe Moſes qvidem, qvi poſtqvam ab alti montis ſupercilio ſanctam regionem è longinqvo viderat, debitum naturæ in deſerto perſolvit.

14. Eandem ſuam theſin probat Apoſtolus ab alio exemplo, malorum angelorum videlicet, verſ. 6. cujus verba ſunt; *Ἀγγέλȣς τε τȣ̀ς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν*, v. 6. *Et Angelos non ſervantes ſuam originem, ſed relinquentes ſuum domicilium, judicio magni illius diei, vinculis æternis ſub caligine reſervaſſe.* Progreditur Judas ab Iſraëlitis ad Angelos lapſos, qvi ſane, dum in ſtatu integritatis erant, longe nobiliores & excellentiores creaturæ habebantur, qvam homines, atqve oſtendit, ne his qvidem DEUM peperciſſe, ſed æternas apoſtaſiæ pœnas ab eis, horribili exemplo, ſumſiſſe; concluſione facta à majori ad minus; ſi tam excellentium creaturarum defectionem adeo ſevere DEUS eſt ultus; quanto minus horum ſeductorum ignoſcet perfidiæ, qvi à gratia, ad quam eos vocavit, deſciverunt? Næ, graviſſime in eos animadvertet, niſi in ſtatione, & officio ſuo manſerint, facientes, qvæ decent DEI filios, non enim minus nunc odit ille peccata & gratiæ ſuæ abuſum, qvam olim, cum ſui ſemper ſimilis maneat, qvo argumento

qvoqve

qvoqve utitur Petrus 2. ep. cap. II, 4. Subjectum hujus exempli sunt Angeli, scil. mali, Spiritus illi infernales, qvi in illa integritate, qva à DEO conditi fuerunt, non perstitere, sed DEO rebellantes hostes ejus ἄσπονδοι & irreconciliabiles facti sunt. Qvorum describitur hic 1. *maleficium* 2. *supplicium*; Primum qvod attinet; Scriptura id in genere nominat peccatum, hinc Petrus 2. epist. cap. II, 4. eos vocat ἁμαρτήσαντας, *Angelos qui peccaverunt*; Et Johannes, *qui*, inqvit, *dat operam peccato, ex Diabolo est: quoniam à principio Diabolus peccat.* 1. Epist. III, 8. Specialius vero maleficium, sive peccatum Angelorum delineat Judas, quando inqvit, *eos originem suam non servasse, sed domicilium suum reliquisse*, ubi duplicem illis defectionem tribuit; unam ἐν ἄρσει, alteram vero ἐν θέσει: illam *ab origine*, hanc *à domicilio:* per originem, missis aliorum sententiis, qvas recenset *Junius* d. l. intelligimus originalem & vere principalem eorum conditionem, ac naturam, qvatenus fuerunt creaturæ præstantissimæ, nempe justitia, sanctitate veritatis, ministerio & actionibus nobilissimis, qvarum respectu Angeli, qui in veritate perstiterunt, dicuntur; *Angeli DEI, boni, sancti, veraces, stantes ante thronum DEI, imperia, principatus, potestates, dominatus, throni*, & si qvæ sunt alia: hanc originem malos Angelos non servasse ostendit Judas, sed spreta DEI bonitate, à prima conditione sponte defeciisse: ex justis itaqve factos esse injustos, ex veracibus *mendaces* Job. IIX, 44. ex sanctis *fœdos, ac impuros* Zach. XIII, 2. Ex hominum ministris & custodibus evasisse in *Asmodæos*, id est, hominum perditores Tob. III, 8. *inimicos*, Matth. XIII, 39. *adversarios*, 1. Petr. V, 8. uno verbo ut res expediatur, ex bonis *malos* 1. Sam XIIX, 10. & *fallaces* 1. Reg. XXII, 22. & hoc respectu dicuntur, *non conservasse originem suam*, qvemadmodum hæc verborum Judæ interpretatio, ex loco parallelo Johannis dicitur, qvi *Diabolum in veritate non perstitisse* asserit, Joh. IIX, 44. ubi per veritatem nihil aliud intelligitur, qvam imago DEI in justitia & sanctitate vera: Eph. IV, 24. Sensus igitur est, Angelos hosce, sponte, imo malitiose ab orginali sua conditione desciviisse, & imaginem DEI, ad quam conditi fuerunt, perdidisse: Nomine desertionis τῦ ἰδίυ οἰκητηρίυ sive *Domicilii* eorum, nihil aliud hîc venit,

nit, qvam qvod reliqverint habitationem locorum cœleſtium, & gloriæ ipſis attributæ ; Veriſimile enim eſt, imo adeo verum, DEUM qvi inſtar ſumme providi patrisfamilias, ſingulis creaturis certa conſtituerat & aſſignarat, ut ita indigitare liceat, domicilia, qvæ incolerent, Angelos ob digniſſimam ac præſtantiſſimam ſuam originem ſpiritualem, initio in cœlos collocaſſe, qvo ſemper fruerentur dulciſſimo conſpectu ejus, è qua perfugæ hi & deſertores ſuâ perfidia ſe expulerunt, atqve adeo glorioſo DEI intuitu ſemetipſos privarunt, & in inferiora loca ſe detruſerunt, nempe *in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis ejus* Matth. XXV, 41. Varias circa hunc locum curioſas partim ac otioſas movent qvæſtiones Scholaſtici, qvas imptæſentiarum, ſiqvidem parum commodi ſecum ferunt, non attingimus; videatur de illis Zanchius de Operibus DEI, part. 1. lib. 4. cap. 2. & alii: inprimis vero qvidam ſcire & accuratius definire geſtiunt, qvodnam εἰδικῶς primum Angelorum peccatum fuerit, cujus cauſa de conditione & gratia priſtina deciderint? Verum ſine ſcriptura prævia ſcire velle, periculoſa eſt ſententia; ſcimus illos peccaſſe, huic acqvieſcamus, cœtera libenter ignoremus; Scriptura hoc in loco, 2. Petr. II, 4. Joh. IIX; 44. meminit, eos *peccaſſe; non conſervaſſe originem ſuam, reliquiſſe domicilium ſuum, nec in veritate perſtitiſſe, Diabolum mendacem ac homicidam fuiſſe ab initio,* (ſcil. lapſus:) præter hæc tria loca nulla inveniuntur, qvæ expreſſam de lapſu Angelorum mentionem faciant: Qvi amplius apodictice definiunt, non ſcientiam colunt, ſed opinionibus ſuis & curioſæ vanitati plus æqvo indulgent, ſcriptura enim nos docet μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὁ δεῖ φρονεῖν Rom. XII, 3. ea igitur loquente loquimur, ea vero tacente tacemus: Audiamus tamen conjecturas eorum probabiles; quidam ergo, luxuriam vel commixtionem quandam dæmonum cum fœminis, primum Diaboli peccatum fuiſſe, ſatis abſurde commenti ſunt, ex falſa interpretatione capitis ſexti Geneſeos, idqve ſequenti verſu confirmare voluerunt, quaſi *incubos ac ſuccubos egiſſent, & turpem aliquam ſcortationem iniviſſent*, verum ex Scholis Platonicorum hauſerunt illa, qvorum multi *Angelis ſua corpora tribuerunt*,

quæ quamvis exilia ac tenuia, tamen generationi apta essent, juxta eorundem mentem; ut testatur Augustinus de Civit. DEI lib. 8. cap. 14. 15. 16. Origenes lib. 1. de princip. cap. 2. 3. & 8. quæ sine fundamento asseri qvis non videt? audiamus hac de re gravissimum Megalandri nostri Lutheri judicium, Tom. 6. Witteb. Lat. f. 89. fac. B *Judæi, ait, hic quoque varie ineptiunt, exponunt filios DEI, dæmones incubos, ex quibus nata sit impia illa generatio, ac dicunt, vocari filios DEI propter Spiritualem naturam. Sed has ineptias modestiores refutant, & exponunt filios DEI, filios potentum.* Alii speciatim peccasse putant Diabolum invidia, qvâ contra hominem exarserit, qvod in illum DEUS tam excellentia dona contulisset, citantes locum Sap. II, 24. *Invidia diaboli mors intravit in mundum*, sed neqve hæc sententia caret difficultate, siquidem nullatenus ex scriptura præsidium petere potest; homini quidem ansam peccandi subministrasse invidiam Diaboli conceditur, illum vero quid impulerit, nulli videmus: Plausibilius alii colligunt, *superbiam* fuisse primum Cacodæmonis flagitium, quam dupliciter accipi notat B. Gerhardus tom. 2. disp. de Angelis, th. 59. primo *ut est contemtus obedientiæ*, & sic in omni peccato invenitur; Secundo, *ut est appetitus vel amor propriæ excellentiæ* & hoc modo Diabolo tribuitur, quo allegant illa dicta; Esa. XIV, 12. & seq. in cœlum ascendam, super astra DEI exaltabo solium meum &c. Ezech. XXIIX, 5. 6. elevatum est cor tuum in decore tribuisti cor tuum, sicut cor DEI: quæ loca etsi de Rege Babyloniæ & Principe Tyriorum proprie explicanda sint; nihilominus tamen, piorum negotia sicuti ad Christum caput eorum, sæpius referuntur, ita quæ de impiis efferuntur ad caput ipsorum Diabolum referre nihil prohibet: accedit, quod ingenium Diaboli superbissimum satis eluceseat ex persuasione illa, qvâ Evam seduxit, ut speraret, se similem fore Elohim: qvam dementiam postea Adamo adeo false DEUS exprobrat, dicens, *Ecce, Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum & malum*, Genes. III, 22. Quod vero superbiæ diabolicæ genus fuerit, quodnam objectum? de eo varirnt veterum sententiæ, ut & recentiorum. Contendunt aliqui, *quod affectârit divinitatem*, dum voluerit æqualis

esse DEO per essentiam: *vel hypostaticam cum DEO unionem desiderarit*, cum sciret, se per essentiam DEO non posse reddi æqualem, aliqui *quod improbarit voluntatem DEI*, aliqui vero *quod detrectarit servitia hominibus præstare, ad quod cum reliquis Angelis destinatus erat à DEO*, Psal. XCI, 11. Ebr. I, 14. quæ rationes, ut sunt conjectaneæ, & probabiles, ita nemo eas, pro apodicticis venditare potest, cum scripturæ expressa autoritate destituantur, ac è contra humano judicio nitantur: manet ita quod & antea dictum, non aliud maleficium Angelorum juxta ductum scripturæ, à nobis bona fide circumscribi posse, quam peccatum & defectionem à DEO; cum religio nobis sit, singulare aliquod Angelorum lapsorum maleficium apodictice definire, qvod à Spiritu Sancto in sacris paginis annotatum non invenimus. Describit porro Apostolus noster sumptum de Angelis supplicium; qvod dicitur *asservatio in vinculis æternis sub caligine, usque ad judicium magni illius diei*: in qvo notanda. 1. *privatio boni absque spe reparationis*; qvia enim ab origine sua domicilioqve semel per peccatum discesserunt, ad neutrum reditus illis patet ex divinæ justitiæ immutabilitate, hinc *vinculis æternis reservantur, ignis æternus paratus est Diabolo & Angelis ejus*, Matth. XXV, 41. Qva de causa illis sit denegata gratia in æternum, & non æque ac hominibus paratum remedium? Patres varias reddunt causas, præstat summam filii DEI erga lapsum genus humanum φιλανθρωπίαν ac misericordiam deprædicare, qva propter nos & nostram salutem descendit de cœlis, & homo factus est, *non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendens* Hebr. II, 16. qvam extra verbi limites scrutari causas justissimi illius judicii, qvo DEUS Angelos à se aversos, *catenis noctis in tartarum præcipitatos, tradidit in judicium servatos*, 2. Petr. II, 4. ut recte monet D. Gerhardus p. m. tom. 2. Disp. de Ang. thes. 60. potissimum tamen id factum dicunt; 1. *Ob speciei humanæ universalitatem, quod toti scilicet humano generi pereundum fuisset, secus ac in Angelica specie, ubi quidam remanserè boni*; qvam rationem habet Augustinus in Enchirid. ad Laurent. cap. 29, 2. *peccati diabolici atrocitatem, lapsus enim ex malitia spontanea nullo instigante, hominis autem malitia aliena, inciante nempe alio*: qvod

adducit Irenæus lib. 4. cap. 78. 3. *propter humanam imbecillitatem, sive fragilitatem: homo est inferioris naturæ, Diabolus perfectioris*, qvam rationem inculcat Damascen. lib. 2. cap 3. & Gregor. M. lib. 4. moral. cap 9 & 4. *Ob humanam indignitatem.* Theodoretus lib. 6. de divina providentia: *quoniam res universæ*, inquit, *quæ sub sensum cadunt, propter homines creatæ sunt, ideo DEus putavit non contemnendum hominem, cujus gratia sunt cuncta creata.* Qvæ omnia, ut pie ac devote considerari possunt, ita nos potius mirabimur, qvam rimabimur divina hæc judicia, & agnoscimus, tum DEI erga nos benignitatem, tum in diabolos severitatem. 2. Observanda est *custodia*; qvæ patet, qvando dicuntur *vinculis sub caligine sive catenis caliginis*, ut reddit Petrus, *reservari*, quæ verba non secundum nudam literam intelligenda: qvasi ferreis catenis alligati, in certo qvodam loco detinerentur, unde nunqvam discedere ipsis liceret. (qvamvis id de Lucifero asserat Gregorius M. lib. 4. Moral. c. 13. verbis Christi motus Joh. XII, 31.) aliud enim ostendit nobis scriptura, qvæ vocat eos *principes, potestates aëris*, Eph. II, 2. *mundi dominos, rectores tenebrarum*, Eph. VI, 12. qvi DEO se sistere ac imperata facere coguntur; Job. 1, 6. 7. 1. Reg. XXII, 21. hinc *locustæ ex puteo abyssi in terram exivisse* dicuntur, *ut torquerent homines menses quinque*; Apoc. IX, 2. 3. 4. Potius in hunc sensum capienda, qvod catenis custodiæ suæ semper qvidem constricti teneantur, nec latum pedem excurrere aut loco movere se possint, nisi prout vincula laxare DEO visum fuerit, qvo facit illud Matth. IIX, 31. *Dæmones rogabant eum dicentes: si ejicis nos hinc mitte in gregem porcorum* Et Luc. IIX, 31. rogaverunt Jesum Diabol., *ne imperaret illis, ut in abyssum irent*; malebant enim hic in aëre vertari, & hominibus vel pecoribus molesti esse. Licet vero aliqvando vinculis leventur, & mutatis qvasi vicibus carcere emittantur, semper tamen infernum suum circumferunt secum; sicut boni Angeli, qvamvis in terris versentur, *faciem Patris sui cœlestis inde sinenter vident*, Matth. XIIX, 10. Bifariam enim vox inferni sumitur, ut 1. *statum* 2. *locum* denotet: ad priorem significatum referuntur dicta Psal. XIIX, 6. Psal. CXVI, 3. ad posteriorem Ps. XLIX, 15. Esa. V, 14. Luc. XVI, 23.

unde

unde noſtrates Theologi ſolent diſtinguere inter *locum diabolorum ordinarium*, qvi eſt infernus, & *extraordinarium*, qvo videlicet à DEO eſſe permittuntur. Indicatur præterea ab Apoſtolo, Dæmones hoc ipſo cuſtodiæ tempore, circumfuſos eſſe caligine, per qvam pleriqve interpretes intelligunt *aërem caliginoſum, & obſcurum, in quo nubes, tonitrua, procellæ, ignes, ac tempeſtates generantur*, ut vult Pareus c. l. alii, ut Sibelius, *caliginem* vocant *locum caliginoſum vel potius miſerrimam, & terribilis horroris plenam conditionem*, qvemadmodum enim lux notat præſentiam gratioſi favoris DEI, idcirco pii orant; Pſal. IV, 7. *attolle ſuper nos lucem faciei tuæ Jehovah*, ſancti itidem & fideles dicuntur *eſſe in luce* Col. I, 12. ita caligo denotat iram, & indignationem DEI, ſub qua in tenebris malitiæ & malorum ſunt Diaboli, qvæ jam ſentiunt ab ira DEI, dum hærent in illa temporis ſui expectatione; hoc enim confeſſi ſunt. dicentes: *Quid nobis tecum, Jeſu filii DEI? Veniſti huc vexatum nos ante conſtitutum tempus.* Notandi tertio ſunt *infiniti & æterni cruciatus*; Qvæ jam patiuntur Diaboli, qvaſi præludia ſunt æternorum cruciatuum & ſuppliciorum, qvibus in magno illo judicii noviſſimi die afficientur: nam quæ vincula nunc ad cuſtodiam ſunt, tunc erunt ad pœnam, & qvæ nunc laxiora ſunt, tunc erunt arctiſſima & graviſſima, idem qvoqve de tenebris & caligine futurum eſt; *ignis* enim *eorum non extinguetur, neque vermis eorum morietur*, Marc. IX, 44 mors tunc erit ſine morte, finis ſine fine, qvia mors ſemper vivet, & finis ſemper incipiet, hæcque pœnarum exaſperatio fieri incipiet, in judicio magno illius diei, (qvi magnus dicitur 1. *quantitate*, qvia ultimus ille dies futurus, & finem nunqvam habiturus, *nox enim illis non erit, neque opus lumine lucernæ futurum eſt, neque lumine ſolis ſiquidem DEus illuſtrabit ſuos*, Apoc. XXII, 5. magnus vocatur 2. *qualitate*, 3. *actionibus*. 4. *numero judicandorum*, & 5. *judicio*, magna enim in eo peragenda & reliqvorum omnium præteritorum dierum exigenda eſt ratio) qvando palam à Chriſto & ſanctis declarabuntur prævaricatores ſuæ originis, & violatores ſanctiſſimæ voluntatis divinæ; & *mittentur in caminum ignis ardentis ſulphure, ubi erit fletus & Stridor dentium:* *Tunc* ait Auguſtinus, lib. 8. de

civit. DEI. cap. 23. *æterna damnatione puniendi sunt cum omnibus hominibus, qui eorum societate detinentur:* Atqve hactenus de malis spiritibus, & secundo inductionis exemplo, qvo DEUS ostenditur peccatores severe puniviſſe.

15. Videamus nunc tertium exemplum; cujus verba hæc sunt v. 7. Ὡς Σόδομα καὶ Γομόῤῥα, καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις, τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον ἐκπορνεύσασαι, καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας, πρόκεινται, δεῖγμα, πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι. v. 7. *Sicut & Sodoma & Gomorrha, & his finitimæ civitates, simili modo atque illæ scortatæ & carnem alteram sectatæ propositæ sunt exemplum ignis æterni.* Primo exemplo qvemadmodum Apostolus reprehendit seductorum infidelitatem, & contumaciam, altero eorundem perfidiam & ἀποστασίαν; ita commode hoc tertio, impuram eorum lasciviam & ἀσέλγειαν perstringit, eandemqve damnandam ac detestandam esse demonstrat, ab effectu pernicioso, per inductionem incolarum Sodomæ ac Gomorrhæ ut & reliqvarum adjacentium civitatum, qvi omni rerum copia qvidem abundabant: teste Josepho lib. Antiq. Judaic. c. 10. ubi refert *Sodomitarum res, tam opibus, quam numerosa juventute ita floruisse, ut à quinque Regibus administrarentur.* Sed benedictionem divinam & qvicqvid ex illa habebant, ad ἀσέλγειαν, ad nefandas & abominandas turpitudines transferebant, atqve ob hoc funditus à DEO evertebantur, una cum regione qvam inhabitabant, ut patet ex historia integre descripta à Mose, Gen. c. 18. & 19. de qvo Petrus; *Civitates*, inqvit, *Sodomorum & Gomorrhæ in cinerem redactas subversione damnavit DEus*: cujus etiam profani scriptores meminerunt, utpote Cornel. Tacitus lib. 5. histor. Strabo, Plinius, & alii. Exemplum hoc non levi de causa huc retulit Judas, siquidem, ut efficaciſſimum ad terrendas impiorum conscientias, sæpiſſime in sacro Codice adducitur; Deut. XXIX, 23. Esa. III, 9. Amos IV, 11. Zeph. II, 9 4. Esdr. II, 8. Luc. XVII, 29. 2. Petr. I, 6. & plerumqve conjunguntur hæ duæ civitates, qvando eversionis earum & circumjacentium fit mentio, tum qvia cæteris duces scelerum fuerunt, tum quia præ cæteris omnium rerum copia & affluentia nobiles erant: Sodoma sita

erat

erat ad mare mortuum, & distabat sex milliaribus ab Hierosolymis, urbs & natura, & situ, & deliciis inprimis nobilis; Moses eam ob feracitatem soli & amœnitatem comparat *cum horto Jehovæ*, id est, paradiso, *& terræ Ægypti:* Gen. XIII, 10. Gomorrha vero non longe distabat à Sodoma, ut colligitur ex Gen. XIV, 2. *& similiter tota erat irrigua*, Gen. XIII, 10. qvare qvæ de Sodomæ fertilitate & amœnitate dicuntur, merito etiam Gomorrhæ tribui possunt; Αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις, quas τὰ περιπόλια Hellenistæ dicunt, notante Cl. Heinsio: in Exercitat. sacr. p. 627. finitimæ civitates sunt Adama, Zeboim, & Zoar, priores duæ sunt igne consumtæ, huic vero, qvæ ante dicta erat Segor, ad intercessionem Lothi DEUS pepercit, ut habetur Gen. XXIX, 20. 21. Theodoretus tamen & Lyra existimant *eam postea absorptam, & una cum cæteris quatuor, communi exitio involutam esse, postquam Lothus ex ea egressus esset;* qvod ipsum videtur sentire Autor libri sapientiæ, dicens: *ignem in civitates quinque descendisse* cap. X, 16. Hieronymus vero testatur, suô tempore Zoara adhuc stetisse inter mare mortuum & montem Enggaddi: Exprimuntur autem nomina civitatum tanqvam *continens* pro *contento*, nempe incolis harum urbium, per *metonymiam subjecti pro adjuncto*, ita Matth. IIX, 34. *tota urbs Jesu in occursum exivisse* legitur, nempe omnes inhabitatores urbis; quorum prædicatum sive factum indicat Judas, dicens, τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον, id est *simili modo atque illi*, scilicet Sodomitæ & Gomorrhæi peccarunt, ita & hi qvi circa eos habitarunt, peccatis se inquinârunt, qvamvis non desint, qvi hæc verba ita interpretentur: *simili modo atque illi, puta Ismelitæ & Angeli*, quorum v. 5. & 6. fit mentio, idqve ex hoc fundamento, *quod genus orationis mutetur, nullam itidem subesse causam, cur diceret* τούτοις, *nisi quod antecedentium rationem à se haberi demonstrare voluerit*, uti explicat Junius, & qvi hunc seqvitur Paræus; sed ut jam diximus, salvo aliorum judicio, potius pronomen τούτοις ad incolas Sodomæ & Gomorrhæ referimus, ut sit sensus, finitimas hasce civitates, vestigia Sodomitarum ac Gomorrhæorum pressisse, & iisdem flagitiis, qvam illi deditas fuisse, moti his rationibus: 1. quia usqvam scriptura, qvæ passim scortationis & aliorum peccatorum

ab

ab Iſraëlitis commiſſorum meminit, aſſerit, eos alienam carnem ſectatos eſſe, neque de Angelis, hæc probari poſſe præcedente theſi oſtendimus. 2. qvia hæ civitates eodem tempore deletæ ſunt una cum Sodoma & Gomorrha, qvibus flagitiis ac ſceleribus pares fuerant Gen. XIX, 25. Specialius vero exprimit illorum facta ſive peccata Judas, qvando inqvit, quod fuerint, ἐκπορνεύσασαι, καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας: per prius intelligimus non ſolum concubitum cum perſonis ſolutis, ſed etiam adulterium, inceſtum, & qvodvis impudicitiæ genus (vocabulum πορνείας enim pro μοιχεία ab ipſo Chriſto uſurpatur Matth. V, 32.) & quidem ſumme effuſam & inuſitatam impudicitiam, qvod colligitur ex præpoſitione verbo addita, qvæ ἐπίτασιν ſeu intentionem notat, itaqve *in genere* non *in ſpecie* hæc vox ſumenda hoc loco; Poſterioribus vero verbis verecunde Autorem flagitium iſtud nefandum Sodomitarum ἀρσενοκοιτῶν notare exiſtimamus, de qvo Paulus Rom. I, 26. 27. 1. Corinth. VI, 9. & qvod Plato olim *igni & ferro paſſim delendum eſſe* judicavit, imo cujus peccati pleniorem deſcriptionem & cognitionem mente caſtos non decet inveſtigare; Si obtemperare voluerint Spiritui Sancto dicenti Eph. V, 3. *Scortatio, & omnis impuritas ne nominator quidem inter vos, ſicut decet ſanctos.* Neqve diu hoc impune tulerunt, ſiqvidem Apoſtolus noſter ſtatim ſubjicit pœnam, qvæ eos inſecuta eſt; ignis videlicet æterni: temporales pœnas, qvas Sodomitæ & his vicini luerunt, qvamvis horribiles & graves; (igne enim & ſulphure cœlitus delapſo, abſumti & ſubverſi ſunt) ne qvidem recenſet, ſed ut fortius moveat, æterna qvæ DEUS ab eis ſumſit ſupplicia, illuſorum oculis ſiſtit, dicens, illos ſuſtinere δίκην τὸ πυρὸς αἰωνίου; δίκη proprie ſignificat *jus & fas*, Actor. XIIX, 4. notat itidem *ſententiæ lationem*, ſive *condemnationem* Actor. XXV, 15. & deniqve pro *ipſa pœna, quæ ex condemnatione provenit*, ſumitur, ut 2. Theſſ. I, 9. & hic, pœnæ hujus ſpecies dicitur *ignis æternus*: Qualis ſit iſte ignis, nec curioſe inquirimus, nec ſalutis noſtræ intereſſe putamus; adjungitur ipſi *æternitas*, quod æternus ſit, *qui non extinguetur*, Eſa. LXVI, 24. *impii torquebuntur die ac nocte in ſeculum ſeculorum* Apoc. XX, 10. *ira* enim *DEI, quæ ignis conſumens*

mens eſt Deut. IV,24. ignem æternæ damnationis, perpetuo inſtar ſulphurei torrentis ſuccendit: Qvo fine hoc factum ſit indicatur ibidem; nempe *ut exemplo propoſiti ſint in omnem poſteritatem*, qvia veſtigia ſui judicii extare voluit Deus, nimirum quod nec aliis ejusmodi patrantibus parſurus ſit, ſi in impietate ſua perſiſtant; hinc Deus ſignificans ſe gentem aliqvam graviſſime puniturum, ac prorſus exciſurum, *minatur ſe ei facturum, ſicut fecerit Sodomæ & Gomorrhæ*, de qvo paulo ante exempla adduximus; ita & hic Judas ſeductoribus refricat memoriam deletionis Sodomitarum, ejusqve finem, ut alieno malo & periculo ſapere diſcant; Etenim *felix quicunque dolore alterius, diſcit poſſe carere ſuo.*

16. Hactenus majorem Judas noſter probavit propoſitionem dum recenſuit delicta & pœnas, incredulorum Iſraëlitarum; Angelorum lapſorum, & ſalacium Sodomitarum, nunc verſibus aliquot minorem corroborat, & antea dicta, ad ſeductoret applicat, ſignificans in illis eadem ſcelera qvaſi revixiſſe; verſu 8. igitur inquit: ὁμοίως μέντοι καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι, σάρκα μὲν μιαίνουσι, κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι, δόξας δὲ βλασφημοῦσιν. *Similiter tamen & iſti ſopiti, carnem quidem polluunt, dominatum vero rejiciunt & dignitates probris inceſſunt.* Comparationem cum antea nominatis indicant verba; *Similiter & iſti ſopiti*, ſive ut alii volunt *ſomniis dediti ac immerſi*: Qvos hoc loco terminative οὗτος appellat, eos ſupra v. 4. indefinite, τίνας ἀνθρώπους, & infra v. 18. ἐμπαῖκτας *illuſores* vocat: vocabulum *ſimiliter* generaliter eſt accipiendum, licet enim non prorſus eadem effecta perpetrarint, tamen genere ſimilia qvædam his commiſerunt, qvoad impietatem, perfidiam, laſciviam, & alia peccata; De vocabulo ἐνυπνιαζόμενοι, varie ambigunt interpretes, quidam id *proprie accipiunt*, dicentes, *nominativum regi à verbo græco* μιαίνουσι, quorum ſententiam impuram pudor referre vetat; alii cum Epiphanio cap. 26. de hæreſi Gnoſticorum, *referunt id metaphorice ad vanitatem cogitationum, ſenſusque carnales animi, ſuavitate voluptatum quaſi delinitos ac ſopitos*, quales ſolent eſſe hominum vino & ſomno ſepultorum, qvi qvidvis ſibi imaginantur: Nobis placet

Heinſii & aliorum ſententia, qvi participium iſtud ἀπὸ τῦ ἐνυπνίῳ, non ἀπὸ τῦ ὕπνυ originem ducere autumant; ita ut homines iſtos non quidem divinis ſomniis affectos intelligamus, qvod Deus per Joelem promiſerat ſanctis, Joel. II, 28. Actor. II, 17. Sed eos ſomniis ſuis ſeſe dedidiſſe ac ſe metipſos decepiſſe, ſua enim voluntas impio cuiqve eſt ſomnium. Verba Clariſſ. Heinſii ſunt hæc in exercitat. ſacr. pag. 627. *Eadem epiſtola ἐνυπνιαζόμενοι ſopiti eruditis dicuntur, quod quis non miretur, qui ſaltem quantum inter ſomnum & inſomnium ὕπνον καὶ ἐνύπνιον interſit, non ignorat? niſi quis legem quoque quoties περὶ τῶν ἐνυπνιαζομένων agit, quos cum falſis prophetis conjungit, deſopitis loqui dicat; ut Deut. XIII, 1. & quis neſcit cur ἐνυπνιαστὴς fratribus Joſephus diceretur?* & paulo poſt: *cum ἐνυπνιαζόμενοι non falſi propbetæ modo, & qui ſomnia vendebant, ſed & hodie plani omnes recte dicantur; quales ſunt qui revelationes ſuas, quod hæreticis non paucis nunc & olim uſitatum, populo obtrudunt; qui vigilando quoqve haud raro ſomniant; B. Hieronymus, ad Jeremiæ 23. Sicut hodie quoque ſomniatores in Eccleſia, & maxime in noſtro grege, qui errores ſuos, Domini jactant propbetiam, & crebro ingerunt, ſomniavi: Sed quomodo μιαίνειν σάρκα dicuntur? Abſit enim ut ὀνειροπόλοι, quibus proprie fœdatur caro intelligantur; non enim alia de cauſa hoc dixit, niſi quod, prætextu forte tali, fœminarum pudicitiæ inſidias ſtruebant, ac non mro expugnabant, quod & optime Nyſſenus lib. de virginit. cap. 23. videt, quando inquit. Hinc ſomniatores qui iis, quas ſomniis ſuis ſtruunt, fraudibus, plus autoritatis, quam evangelicis conciliare ſtudent dogmatibus, ſuasque imaginationes, revelationes dicunt; E quibus illi qui domos penetrant, Quo fine? ut inquit Apoſtolus eo, quem tangit loco, captivas ducant mulierculas variis cupiditatibus actas. Igitur ἐνύπνια, hæreſes, errores, quæ & ἐνειρώξεις Canone 1. Concilii Sexti in Trullo vocantur* &c. quæ ſi quis fuſius legere volet, adeat ipſum Autorem cit. loc. Talia ſunt ſomnia Enthuſiaſtarum omnium: videatur Hiſtor. Tripartita lib. 7. c. 11. de qvibus Jehovah, audio, inquit, *quid dicant iſti prophetæ qvi prophetant in nomine meo falſum, dicendo ſomniavi, ſomniavi: An eſt ſomnium in animo iſtorum prophetarum, qui prophetant falſum? imo ſunt prophetæ doli animi ſui:* Jer. XXIII, 25, 26. Tria autem

tem insignia effecta illorum, enarrantur; primum est ἀκαθαρσία *immundities*, quam Judas his verbis indigitat; σάρκα μὲν μιαίνουσι, *Carnem sive corpus* (per carnem enim nihil aliud intelligit) *polluunt*, id est carnalibus peccatis sunt dediti; alterum est ἀσέβεια *impietas*, quæ comprehenditur verbis, κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι; *dominatum vero rejiciunt*: dictum hoc plerique intelligi volunt, de Magistratu politico sive civili, eo sensu, qvasi illusores dicti, omnem magistratum & ἐξουσίαν despexissent & ἀνυπόστατοι fuissent, ut Paulus loqvitur Tit. I. v. 10. *qui nemini voluissent subjecti esse*; ut Pharisæi Joh. IIX, 33. *nos liberi sumus & nemini unquam servivimus*; alii de Christo hic sermonem esse contendunt, nos utrumque asserimus, ita ut primario Judas his verbis potentissimam illam dominationem atqve autoritatem, qvam Dominus & Servator noster JESUS CHRISTUS accepit à Deo patre Dan. VII, 14. Matth. XXIIX, 18. Psalm. IIX, 8. Hebr. II, 8. &c. designet; quam Satanas jam inde ab Ecclesiæ ortu per organa sua, hæreticos istius temporis labefactare, & evertere, si fieri posset, conatus est; qvod patet ex collatione versus quarti, & historiæ veteris; sive enim personam, sive officium Christi, sive quidvis aliud ad redemtionem nostram necessarium negaverint illi, salutarem illum dominatum Christi enervare ac subruere animum induxerunt, & se revera *Anti-Christos esse*, ut Johannes I. epist. c. II, 22. & c. IV, 3. demonstrarunt: Simul autem secundario intelligat sub voce κυριότητος, magistratus civiles, qui alias *Dii*, *& filii Excelsi* vocantur Psalm. LXXXII, 6. qvos & ipsi respuebant, ac repudiabant, ut constat de *Gnosticis*, *Basilidianis*, *Nicolaitis* & horum sectatoribus: Tertium peccati genus sive effectum eorum est ἀταξία; qvæ patet ex verbis, δόξας βλασφημοῦσιν *dignitates probris incessunt*, vel *blasphemant*, eratq; talis protervia, qva dignitates qvasvis convitiis impetebant; nullum agnoscentes ordinem, neque Ecclesiasticum, neque civilem; ut itidem delirarunt sectarii modo nominati. Nec præter rem qvis cum Plur. Rev. D Præside censuerit, *triplici illo peccatorum genere, ad tria illa judicii divini exempla, horum peccatorum culpa provocata, & hic adducta respici: quod carnem quidem polluant Somniatores illi cum Sodomitis, dominatum vero rejiciant cum Angelis qui*

originem ſuam non ſervarunt, dignitates denique probris inceſſant & blaspbement cum Iſraëlitis rebellibus unde parili pœnæ obnoxios ſe-ſe, paribus reddunt peccatis, & ſceleribus.

17. Poſtremi hujus ſeductorum ſceleris, Judas ἐξεργα-σίαν & amplificationem ſubjungit duobus ſeqventibus verſiculis; qvorum primus ita habet: v. 9. Ὁ δὲ μιχαὴλ ὁ ἀρχάγ-γελος, ὅτε τῷ διαβόλῳ διακρινομένος διελέγετο περὶ τοῦ μω-σέως σώματος, οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας, ἀλλ' εἶπεν, ἐπιτιμήσαι σοι κύριος. *Michael vero Archangelus, quum adverſus Diabolum certans diſceptaret de corpore Moſis, non auſus eſt judicium ferre, ſed dixit increpet te Dominus.* Sumta eſt hæc amplificatio ex loco comparatorum à magis ineſſe ad minus ineſſe; adhibito exemplo Michaelis Archangeli; quaſi dicturus; Ne Michael princeps qvidam Angelorum, auſus fuit maledicere Diabolo, maledictis digniſſimo, judicium relinqvens Deo, qva ergo conſcientia iſti ſunt auſi maledicere principibus hominibus. Probabilius enim, Archangelum poteſtatem maledicendi alicui habere, præſertim ſi maledictionem ſit meritus, quam hominem, Angelus præterea judicio tantum contendit, hi judicium ferunt, Angelus diſcepravit, hi cauſa incognita judicant; Angelus rem totam permiſit judicio Domini, de ſuo nihil addidit, hi omnes cancellos modeſtiæ perrumpunt, autoritatem judicandi Deo derogant, ſibimet arrogant, & extribunali quaſi decidunt, qvod Petrus ita effert; *Ipſi Angeli, qui ſunt viribus ac potentia majores, non ferunt adverſus eas (dignitates) apud Dominum maledictionis judicium* 2. Petr. II, 11. q. d. qvi robore ac poteſtate majores ſunt, plus poſſunt minoribus, Angeli majores ſunt hominibus iſtis, magis igitur poſſunt; Non ferunt autem Angeli apud Deum Judicium convitii, ergo iſti conſeqventer multo minus ferre poſſunt. Hic locus δυσνόητος & obſcurus, unus eſt ex illis, propter qvos epiſtola hæc olim rejecta & canone excuſſa, eo qvod exemplum hic Judas adduxerit, quod nuſpiam in ſcriptura legitur, de quo actum fuit theſi qvinta; diſtinguimus hoc loco inter ſubſtantiam rei, & circumſtantias ejusdem, illam Spiritus S. in ſcriptura his verbis tradit; *Mortuus eſt in monte Nebo Moſe ſervus Jehova, ex præ-*

ſtituto

ſtituto Jehovæ, qui ſepelivit eum in eadem valle in terra Moabitarum è regione Bethpeoris, neque novit quisquam ſepulchrum ejus usque in diem hunc, Deut. XXXIV, ſ. 6. hic habemus fundamentum verborum Judæ: Hæ vero ſcilicet circumſtantiæ, qvas allegat Apoſtolus, petitæ ſunt, vel ex libro Apocrypho, qvi tum inter Judæos adhuc extabat, hodie vero intercidit; atqve hunc librum nonnulli eſſe putant eum, qvi à veteribus qvibusdam nomine ἀναλήψεως τοῦ μωσέως citatur; Epiphanius in Synopſi. Allegat eum Origenes περὶ ἀρχῶν lib. 3. c. 2. ſub titulo Aſcenſionis Moſis; verba ejus ſunt; *De quo in Aſcenſione Moſis, (cujus libelli meminit in Epiſtola ſua Judas Apoſtolus) Michael Archangelus cum diabolo diſputans de corpore Moſis* &c. Teſtatur inſuper Epiphanius libr. de menſuris & ponderibus; *Judæos Ptolomæo miſiſſe cum libris Canonicis, Apocryphos ſeptuaginta duos*, inter qvos & hic forte eſſe potuit: vel ſumtæ ſunt hæ circumſtantiæ, ex traditione vetuſta, qvæ qvaſi per manus ad poſteros devenit; cujusmodi plurima loca Scripturæ Sacræ ex traditione hauſta, poſtmodum in canonem relata ſunt, 2. Tim. II, 3. 8. Ita Paulus incantatores, qui Moſi reſtiterunt, Exod. VII, 11. *Jannem & Jambrem* vocat; qvæ nomina vel ex antiqvioribus ſcriptis Judaicis, vel ex traditione ἀγεάφῳ habuit. Hebr. XI, 21 *Joſephus baculo innixus adoravisſe* dicitur; & Hebr. XII, 21. refert Apoſtolus *Moſen, ubi vidiſſet terribile viſum, quod apparebat in monte Sinai, dixiſſe: Expavefactus ſum & tremebundus*, ſic deniqve *pedes Joſephi compede afflictos fuiſſe* legimus, Pſal. CV, 18. qvæ omnia nuſpiam in Moſe habentur; ideoqve vel ex libris Apocryphis, vel ex traditionibus petita. Præterea qvod maximum; Judas hanc hiſtoriam ex ſingulari Spiritus Sancti revelatione habuit, cujus inſtinctu, ut reliqvi Prophetæ, Evangeliſtæ, & Apoſtoli, hanc Epiſtolam conſcripſit, 2. Petr. I, 21. Conſideranda vero præcipue hoc verſu duo; *perſonæ* videlicet & *factum*; *Perſonæ* proponuntur duæ qvarum una *Michael Archangelus*; Nomen hoc Hebraicum eſt, ac latine ſonat; *Quis ſicuti DEus?* qvod reperitur etiam Dan. X, 13. & 21. cap. XII, 1. Apoc. XII, 7. *Archangelus* hic Michael dicitur à Juda, ab officio, vel qvaſi ſignificetur hunc unicum eſſe Archangelum tanqvam cæterorum princi-

pem, vel qvaſi Michael ſit unus ex Archangelorum numero; prius confirmari poſſet, cum ſcriptura nuſpiam Archangelos numero plurali nominet, ſed ut hic, ita etiam 4. Esdr. IV, 6. & 1. Theſſ. IV, 16. (neqve enim qvod ſciam uſpiam alibi iſtud nomen in ſcripturis reperitur) Archangeli numero ſingulari, meminerit; Accommodant nonnulli Interpretes hoc nomen ad Chriſtum, in quo multum deſudat Franciſcus Junius, in appendice Parallelorum, paral. 15. ut & in notis ſuper Epiſt. Judæ pag. 1679. à qvo tamen recedit Paræus; cujus verba tom. 2. p. 1057. talia leguntur; *Proinde Fr. Junii ſententia non videtur approbanda, qui πηθανῶς quidem filium Dei putat intelligendum ductus hac ratione, quod non ſit veriſimile, ullam creaturam in negotio ſepulturæ Moſis, quæ ab ipſo Deo, nullo mortalium conſcio facta eſt, occupatum fuiſſe; neque Diabolum, ab alio quam à Chriſto omnium Angelorum principe fuiſſe impeditum. Sed minus id eſt neceſſarium; Nam præterquam quod Chriſtus expreſſe diſtinguitur ab Archangelo, nihil eſt abſonum ſtatuere, Angelorum primarium Michaelem fuiſſe conſcium ſepulturæ Moſis, tametſi conſulto DEus nulli homini voluerit patefacere:* cujus ſententiæ & nos accedimus, moti præſertim rationibus non frivolis; 1. qvia Scriptura inter Chriſtum & Archangelum manifeſte diſcernit; 1. Theſſ. IV, 16. ubi dicitur, *Dominum è cœlo deſcenſurum, cum hortationis clamore & cum voce Archangeli.* 2. Ille Michael dicitur eſſe ἀρχάγγελος, nempe *unus principum* (primariorum puta Angelorum) Dan. X, 13. qvod Filio Dei non competit: Ne tum quidem ſi unus per PRIMUM exponatur, qvia itidem in ordinem Angelorum Michael iſte refertur: Nam ſi primus eſt illorum, certe ex illorum numero unus eſt. 3. qvia Petrus de eadem materia agens; hæc verba eo pacto interpretatur; *Ipſi Angeli*, inqvit, *qui ſunt viribus ac potentia majores, non ferunt adverſus dignitates, apud Dominum maledictionis judicium*; 2. epiſt. II. v. 11. ubi de Angelis tanqvam de pluribus loqvitur. 4. Indigna videtur Chriſto iſta narratio, qvæ poſtea ſeqvitur; cum facti, qvod decertaverit adverſus Diabolum de corpore Moſis, tum etiam dicti: qvod non ausus fuerit judicium adhibere convitii; nec eſt, quod excipiat qvisqvam; aſſeri hoc de Chriſto poſſe, ſiqvidem Matth. IV, 3. à

Diabolo

Diabolo tentatus sit; cum Judas de λόγῳ ἀσάρκῳ, Matthæus verò de ἐνσάρκῳ agat; multo minus id qvicqvam valet; *Michael signi-ficat quis sicuti DEus? Nullus Angelorum est sicuti DEus. præter Chri-stum; qui est Character personæ patris.* Hebr. I. v. 3. *unum cum Patre.* Joh. X, 30. *Pater in ipso & ipse in patre* ibid. v. 38. *& vir proximus Deo* Zach. XIII. v. 7. *Ergo Christus est ille Michael.* Respondemus enim per instantiam, Gabriel idem est qvod fortitudo Dei; Christus vero nusquam dicitur Gabriel, licet sit fortitudo Dei Esa. IX, 6. Altera qvæ occurrit persona, fuit Διάβολος *Angelus per superbiam à Deo separatus, à semetipso deceptus, alios decipiens, autor mendacii, radix malitiæ, caput scelerum, princeps omnium vitiorum;* dicente Augustino in vigil. Nativit. Domini sermon. 4. dictus ἀπὸ τῦ διαβάλλεσθαι, qvod est calumniari, *est enim mendax & calumniator ab initio,* Joh. IIX, 44. Calumniatur Deum ejusqve opera apud homines, ut videre est Genes. III. v. 4. & 5. Calumniatur homines apud Deum, ut testatur historia Jobi c. III, 9. 10. c. II, 5. hinc *accusare nos* dicitur, *in conspectu Dei nostri die ac nocte,* Apoc. XII, 10. Harum partium porro enarratur factum; qvod nempe fuerit institutum certamen inter Michaelem Archangelum, & ab altera parte Diabolum de corpore Mosis; Qvantum ex verbis textus colligere licet; fuit dialogus sive colloqvium, sine dubio acre, inter eos habitum, διακρινόμενος διελέγετο, *dijudicans, disceptans, disseruisse ibidem dicitur.* Qvalis vero hic fuerit discursus sive dialogus, qvoad verba, nusquam in scriptura exprimitur, sed tantum γενικῶς à Juda tangitur, qvicqvid igitur hic Scholastici, Monachi, & Pontificii Interpretes tam anxie disputant, caret omni veritatis fundamento, omnia enim sunt ἄγραφα, & meros sapiunt conceptus humanos, qvibus in utramqve partem varia opponi possunt. Neqve qvoad sensum sive materiam res ita expedita est; siqvidem discrepantes de illa Doctorum sunt opiniones; Qvidam enim *hæc verba figurate de corpore Mosis esse accipienda* putant, *ut per corpus Mosis intelligatur illud ipsum sacerdotium, non tam typicum, quam analogicum, de quo adversus Jehovam disceptabat Satanas;* Zachar. III. v. 2. & seq. qvæ explicatio, licet non repugnet analogiæ fidei; tamen huc non qvadrare videtur;

neqve

neqve enim Zacharias meminit vel Michaelis Archangeli, vel corporis Mosis, vel causæ, qvâ Archangelus impulsus, non fuerit ausus diabolo impingere notam maledicti: Alii vero statuunt, *disceptationem fuisse inter Angelum & Satanam de sepultum corporis Mosis*: & hi qvidem inter seipsos dissident; dum nonnulli existimant *Angelum voluisse ut sepeliretur corpus Mosis*; imo *Angelos ipsos sepeliviſſe corpus Sancti Mosis*, ut Epiphanius aperte contra Samaritan. Sect. 9. ex traditione qvâdam scripsit: *Diabolum vero restitisse & corpus Mosis propter varia, qvibus vivus obnoxius fuerat peccata, sepultura indignum contendisse*; Ita sentit Oecumenius in Epist. Judæ. *De Mosis*, inqvit, *corpore hoc est judicium. Dicitur Michael Archangelus ministerium præstitisse in sepeliendo Mose: id non ferebat Diabolus, sed accusationem afferebat, propter cædem Ægyptii*, (Exod. II, 22.) *quasi Moses ipsius esset, & propterea non permittebat, ne ille honorificam, sepulturam consequeretur*; alii vero (in qvorum sententiam pedibus imus) concludunt: *disceptationem fuisse, de corpore Mosis, quod à DEO in monte Nebo clam sepultum*, ut Israëlitæ sepulchri istius locum ignorarent, qvodqve Diabolus filiis Israël patefacere studebat, ut occasionem illis nefariæ idololatriæ præberet, sperabat enim fore, ut circa illud, tanqvam insignis prophetæ corpus, divinum cultum instituerent, atqve ita debitum DEO honorem detraherent, contra præceptum DEI Exod. XX, 3. 4. qvemadmodum progressu temporis abusi fuerunt serpente illo æneo, qvem Moses in deserto fecerat, eiqve adoleverunt 2. Reg. XIIX, 4. His autem vaferrimis ac subdolis Diaboli conatibus, mascule se opposuit Michael Archangelus & certavit pro conservatione veri & puri cultus divini, dum anxie cavit, ne Sathanas Zizania superstitionum & idololatriæ inter Israëlitas sereret, atqve hoc pacto simul satisfecit voluntati & consilio DEI, qvi noluit populum rescisere, ubinam Mosis sepulchrum esset. Qvem finem sortita sit hæc pugna, patet ex ultimis hujus versiculi verbis: *Angelus* nempe *non ausus est Diabolo impingere notam maledicti; sed dixit: Increpet te Dominus*; κρίσις βλασφημίας hoc loco significat judicium, sententiam, causæ lationem blasphemam & maledicam, hanc non intuliſſe Diabolo

dici-

dicitur, idqve, ut textus loqvitur, *quia non audebat* nempe ex timore qvodam, non naturali, qvo creatura ſibi metuit à periculo, illudqve à ſe pro viribus propulſat, neqve ex ſervili, qvi oritur ex naturæ depravatione, qvo creatura ſentiens conſcientiæ morſum, ob peccata admiſſa, metuit pœnas juſtiſſimas ſibi à DEO infligendas, ſed filiali, qvo creaturæ rationales, Angeli, puta boni, & homines credentes, qvi agnoſcunt DEI paternam bonitatem, dominium ac majeſtatem ſummam, ſe poteſtati ejus promte & alacriter ſubjiciunt: *hic timor filios DEI cuſtodit & eripit à via mali*, Prov. II, 11. 12. noverat enim judicium de Diabolo, ſoli juſtiſſimo & ſapientiſſimo DEO committendum eſſe; juxta regulam Chriſti Matth. VII, 1. noverat maledicta maledictis non eſſe compenſandá, ſiqvidem convitiis gloria DEI non defenditur, imo maledicere & blasphemare, etiam atrociſſimis ubi qvis afficitur injuriis, nusqvam bonum & tutum, *diligit enim defectionem, qui diligit jurgium*, Prov. XVII, 19. *nemini malum pro malo vicissim reddendum* Rom. XII, 17. *quia omnis amaritudo, & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia tollenda ex filiis DEI cum omni malitia* Eph. IV, 31. ideoqve amore DEI, & metu divinæ offenſæ, à maledictis & blasphemo judicio ſe temperat. Potius Archangelus, ſciens qvod *Jehovah eſt fortis DEus ultionum*, Pſal. XCIV, 1. ipſi judicium & pœnæ vindictam committit, dicens: *Increpet te Dominus:* qvæ verba inveniuntur itidem adverſus Satanam pronunciata Zachar. III, 2. qvaſi dicat; cum *vindicta omnis ſit DEO relinquenda, ipſiusque ſit ultio & retributio*, Deut. XXXII, 35. ego acrius te non reprehendam, neqve maledictis tecum certabo, habebis tamen DEUM, ut vindicem gloriæ & cultus ſui hoſtemqve idololatriæ & ſuperſtitionum, cui merito dabis pœnas hujus tuæ temeritatis: De qvibus Hieronymus Apolog. adverſus Ruffin. *Ad benedicendum, non ad maledicendum, creati ſumus, unde Michael, cum adverſus diabolum diſputaret de corpore Moſis, ne tanto quidem malo auſus eſt judicium inferre blasphemiæ, ſed dixit: Increpet tibi Dominus: cui quid ſimile etiam in Zacharia legimus; Increpet tibi Dominus Diabole: ut increpet Dominus in te, qui elegit Hieruſalem. Ergo propter DEI timorem, caveamus in quempiam ma-*

lediƈta inferre, recordantes illius diƈti; non fuit ausus judicium inferre blasphemiæ; quod dicitur de Michaele contra Diabolum.

18. Applicationem hujus similis ostendit Thaddæus versu sequenti 10. ὅτοι δὲ ὅσα μὲν ϑὴ οἴδασι, βλασφημοῦσιν· ὅσα δὲ φυσικῶς, ὡς τὰ ἄλογα ζῶα ἐπίσανται, ἐν τούτοις φθείρονται, *At isti, quæcunque non noverunt vituperant; quæ vero naturaliter, ut animantia rationis expertia sciunt, in iis seſe corrumpunt.* Connexionem hujus versus cum præcedente indicant verba ὅτοι δὲ; Antitheſis est talis: Archangelus summa constitutus dignitate, accuratissima præditus scientia, habens summum jus redarguendi, & severius increpandi Diabolum, omnem asperitatem intermisit, & vindictam DEO tribuit dicens, *Increpet te Dominus*: Hi contra homines procaces & imperiti, impudenter in qvosvis, (præsertim magistratus & ordines, ut patet ex v. 8.) irruunt, vituperantes & carpentes ea, qvæ non intelligunt. Dupliciter autem peccare dicuntur hoc loco: primo qvod *ea vituperent, qua non intelligunt*, ubi commode adhibetur vox βλασφημοῦσιν, *quicunque enim Dominos suos omni honore dignos non ducunt, DEI nomen & doctrinam blasphemant*, juxta Paulum 1. Tim. VI, 1. qvæ est summa impudentia & petulantia, hinc si DEUS minatur *se terribilem futurum illis, qui probris & convitiis affecerint populum suum*: Zephan. II, 8. & 11. terribilior certe erit iis, qvi ex cœco & beluino qvodam impetu duces & principes populi sui vituperant ac convitiis incessunt; *Insipientia*, vel ipso Cicerone teste lib. 3. Tusculan. qvæst. *nullum majus malum est, & ignorantia omnium peccatorum miseriarumque mater est* asserente Apostolo Ephes. IV, 18. *hinc male cupiditates* 1. Petr. I, 14. *erratio animi, deflexio à via Domini* Ps. XCV, 10. Notitia alias datur duplex, una *intellectus*, qvæ scientia dicitur, altera *voluntatis* & προαιρέσεως, qvæ appellatur agnitio, utrovis modo non noverint, homines ea qvæ noscenda sunt omnino in culpa sunt; nam si res cognitu necessarias vituperant, qvia nesciunt indecorum atqve iniqvum est, sin vero, qvia respuunt, impurum atqve malitiosum est: Deinde gravius adhuc peccatum eorum summa pernicie conjunctum describitur: qvod nempe in *illis, qua naturaliter, ut animantia rationis expertia, sciunt,*

unt, ſeſe corrumpant, antea ſeductoribus ignorantia tribuebatur, nunc ſcientia adſcribitur, ſed non niſi naturalis, utpote qvæ non à recta ratione eſt, ſed à communi ſenſu, qvalis datur & in brutis; vocabulum itaqve naturaliter idem eſt, qvod nullo conſilio, nulla ratione humana, non Spiritus divini luce, ſed cœco naturæ impetu & beluino motu. *In iis* ergo *ſe corrumpunt*, inqvit Judas, id eſt, feruntur in mortem & corruptionem ſuam præcipites, ut piſces eſca viſa ſeipſos hamo alligant; & celerem ſibi corporis & animi acqvirunt interitum, hinc David Pſal. XIII, 2. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus ſuis*, & Hoſeas cap. X, 2. *Diviſum eſt cor eorum nunc interibunt*; qvemadmodum Joel cap. I, 17. ait, *dum putruerunt jumenta in ſtercore ſuo*, ita ſeductores iſti in ſuis vanitatibus computrefacti ſunt: Hæc Petrus ἐξηγητικῶς ſic effert 2. Petr II, 12. *Iſti velut animantia rationis expertia, quæ naturali impetu feruntur, facta ad eum finem ut capta intereant, ea vituperantes, quæ ignorant, ſua ipſorum corruptela interibunt.*

19. Hactenus Apoſtolus exempla aliorum recenſuit, qvi ob peccata & ſcelera commiſſa meritas DEO dederunt pœnas, docet nunc ulterius, ac concludit, eos ſimiles fore in ſuſtinendis pœnis, qvibus in peccatis ſimiles extiterant, adductis exemplis Caini, Balaami, & Core, qvando inqvit v. 11. Οὐαὶ αὐτοῖς, ὅτι τῇ ὁδῷ τοῦ Καΐν ἐπορεύθησαν, καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν, καὶ τῇ ἀντιλογίᾳ τοῦ κορὲ ἀπώλοντο. *Væ ipſis, nam viam Cain ingreſſi ſunt, & deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effuſi ſunt, & contradictione Core perierunt.* Væ ipſis inqvit: exitium enim temporale & æternum illis imminet, vox ὀυαὶ notat calamitates ſummas, eſtqve particula ſevere & graviter increpandi peccatores: Qvemadmodum uſurpatur Jerem. XLIIX, 1. *Væ Nebunti*, i. e. O ingentem calamitatem, qvæ accidit Nebunti! Jeſa. I, 4. *Væ genti peccatrici, populo praviſſimo iniquitate!* Cap. III, 9. *Væ impio, qvoniam ſecundum opera manuum ſuarum retribuetur ei*, & Matth. XXIV, 19. *Væ prægnantibus & lactentibus per illos dies*, qvaſi dicat, triſtiſſima calamitas illo tam luctuoſo tempore talibus continget. Cæterum hæc vox, ſive

ἐπιφώνησις Judæ, non eſt *maledicentis*, qua ſeductoribus illis omnia mala apprecetur, judiciumqve de illis ferat, ut quidam contendunt, ſic enim ſuæ ipſius doctrinæ contradiceret, verſ. 9. neque eſt vox *condolentis*, ut alii volunt, quaſi dicat: Heu quam doleo, cogitans, qvale & quantum ſibi iſti exitium accerſant, qvalis Eſaiæ cap. XXIV, 16. Sed *prædicentis* & *denunciantis pœnas*, qua certitudinem & atrocitatem earum deſignare voluit, non tam imprecando, qvam monendo, ut magnopere ſibi à ſuppliciis imminentibus caveant, & reſipiſcentiæ locum dent; Illuſtrat hoc Apoſtolus tribus exemplis, qvorum primum Caini; *viam Cain* inqvit, *ingreſſi ſunt*. Per Cainum intelligimus, non Patrem Kenæorum, id eſt poſterorum Jethronis ſoceri Moſis, qvi eo nomine fuit appellatus, Num. XXIV, 22. Sed primogenitum Adami & Evæ filium, cujus hiſtoria legitur Gen. IV. Huic Caino Judas *viam* tribuit, qvæ ſi *proprie* ſumatur, denotat locum per quem iter habere cuivis licet, *Metaphorice* autem, ut hic capitur, ſignificat rationem & inſtitutum vitæ; Atqve ſic pii & impii diverſas ingrediuntur vias. Hinc David Pſal. I, 6. *Novit Dominus viam juſtorum, impiorum autem via peribit*. Via igitur hic eſt Caini genus, curſusqve vitæ, qvem Cain elegit, & qvo implicatus deſideria pravi ſui cordis, excuſſo omni timore DEI, ſectatus eſt; eandem viam ſeductores & Empectæ dicuntur ingreſſi, ſimiles enim fuerunt Caino in flagitiis & ſuppliciis; *in flagitiis quidem*, qvia more Caini erant hypocritæ, nomine qvidem Chriſtiani, ſed impura ac ſcelerata ſua vita Chriſtum abnegabant, Eccleſiam ejusqve membra intus odio proſeqvebantur, mellita verba exterius ſpirantes, DEI conſpectum fugiebant, fratres ſuos à vera DEI cognitione occultis inſidiis abducebant, atqve animas eorum hoc pacto enecabant, qvod fratricidium ſpirituale longe gravius eſt, qvam corporale; *lingua eorum erat culter jugulans* Jerem. IX, 18. qvo legitimum Magiſtratum petebant. Ierem. XLIX, 18. *in ſuppliciis vero*, qvia ſine dubio conſcientiæ furiis exagitati ob hæc fuerunt, qvæ indiviſi comites ſceleris cœpti vel patrati eſſe ſolent, temporalis ignominiæ notam ſibi inuſſerunt, & qvotqvot in vera fide non reſipuerunt, dubio procul omni æternum dam-

damnati sunt. Alterum exemplum est Balaami spe mercedis decepti, in cujus deceptionem & illi effusi declarantur, quod Petrus itidem, 2. Petr. II, 15. inducit, *execrabiles filii*, inquiens: *qui relicta recta via abermrunt, sequuti viam Balaam, filii Bosor, qui mercedem iniquitatis dilexit, sed redargutus fuit de sua iniquitate, animal subjugale mutum, humana voce loquens, prohibuit Prophetæ dementiam.* Balaami historia extat Num. XXII, 23. & 24. capit. hic spe lucri deceptus, linguam suam venundedit, & locavit Balaaco Regi Moabitarum, ad maledicendum populo Israëlitico, sed loco mercedis à Balaam promissæ, in manus pervenit hostium, ubi, qvia vita ipsi erepta, meritas luit pœnas, suæ avaritiæ, Num. XXXI, 8. Simile qvid de Empectis enunciat Judas, qvemadmodum enim Balaam maledicere voluit, ita DEUM blasphemabant isti, cujus gratiam ad ἀσέλγειαν transferebant, ordines & Magistratus convitiis proscindebant; quemadmodum Balaam, mercede conductus ad maledicta; ita isti spe lucri doctrinam Prophetarum & Apostolorum adulterabant, eadem igitur peccata dum committebant, similes eos manturas pœnas denunciat Apostolus; Tertium exemplum qvod proponitur, est *Core, qui contradictione periisse* dicitur, historia ejus habetur Num. 16. Idem dicturus, qvemadmodum Core (qvi solus hic nominatur, qvia Dux & Autor reliqvis ad seditionem fuit,) Mosi, *fideli servo in tota DEI domo*, proterve restitit, & perditionem æternam sibi inde contraxit, ita etiam illusores isti seditiosi & turbulenti, rejicientes Magistratus & ordines, ac fidis DEI ministris sese opponentes, jamjam in interitu suo versantur, idqve tam certo, qvam si incendio aut terræ hiatu, absumti essent, præteritum enim tempus (qvod Aoristus 2. indicat) pro futuro Hebræorum more usurpat.

20. Pergit Thaddæus in enarrandis vitiis seductorum, & qvales sint, delineat comparationibus qvibusdam è naturali scientia petitis vers. 12. Οὗτοί, inquit, εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχούμενοι, ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες, ὀφέλαι ἄνυδροι ὑπὸ ἀνέμων περιφερόμεναι, δένδρα φθινοπωρινὰ, ἄκαρπα, δὶς ἀποθανόντα, ἐκριζωθέντα. v. 13. Κύματα ἄγρια θαλάσσης

λάσης, ἐπαφρίζοντα τὰς ἑαυτῶν ἀισχύνας, ἀστέρες πλανῆται, οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς τὸν αἰῶνα τετήρηται. *Hi sunt in agapis vestris maculæ, dum vobiscum epulantur, absque ullius metu seipsos pascentes, nubes aqua carentes, ventis circumactæ, arbores emarcidæ infrugiferæ, bis emortuæ, erudicatæ, undæ maris efferatæ, despumantes sua ipsorum dedecora, stellæ errantes, quibus caligo tenebrarum servata est in æternum.* Characterismus eorum dicitur, qvod sint σπιλάδες in agapis fidelium, epulantes cum illis, & absqve ullius metu seipsos pascentes: Agapas vocat Apostolus fraterna Ecclesiasticorum cœtuum convivia, charitatis Christianæ documenta, de his varia leguntur apud Patres Latinos & Græcos; In primitiva nimirum Ecclesia fideles, peractâ Domini cœna, inter se frugalia convivia agitabant, ut fraternam, qvam colebant, concordiam hoc signo testarentur, unde τῶν ἀγαπῶν nomen, ac si charitates, aut charitatis epulas, qvis dixerit: qvia erant symbola ac vincula charitatis Christianæ, qvarum etiam mentio fit 2. Petr. II, 13. & 1. Cor. XI, 21. Hinc Chrysostomus Homil. 27. in hæc verba Pauli 1. Cor. XI. *Communes*, inqvit, *faciebant mensas institutis diebus, ut decebat, & collectione perfecta, post mysteriorum communicationem ad commune omnes epulum conveniebant, & cibos quidem conferebant divites, & pauperes qui nihil habebant, ab illis vocabantur, & communiter omnes discumbebant:* videatur de his Tertullianus Apologet: adversus gentes Cap. 39. *Cœna nostra*, ait, *de nomine rationem suam ostendit, vocatur ἀγάπη, quod dilectio penes Græcos est, quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumtum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus; Omnio convivium dirimit, inde discedetur, non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam.* Ex quibus patet, has agapas, licet non expresso DEI mandato nitantur, tamen à primitiva Ecclesia ab initio ex bona intentione, ad fines honestos & utiles institutas & observatus fuisse: revocarunt enim hoc pacto sibi in memoriam mensam Domini esse symbolum ac incitamentum fraternæ concordiæ, & simul

mul pauperibus & egenis ſubvenerunt. *Agapæ noſtræ*, inquit Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum Manichæum c. 20. *pauperes paſcunt, ſive frugibus, ſive carnibus.* Probabile eſt hunc ritum ex Judaiſmo in Eccleſiam Novi Teſtamenti introductum fuiſſe, ſolebant enim Judæi, ex conſtitutione divina, ſacrificiis ſuis, & inprimis pacificis ſeu Euchariſticis, convivia adhibere, ad quæ non amicos tantum ſuos & vicinos, ſed peregrinos etiam ac pupillos, viduas, & pauperes vocabant, cum qvibus coram Jehovah in loco, qvem elegerat ad collocandum nomen ſuum ibi, comedebant, & lætabantur; quemadmodum Deut. XII, 7. c. XIV, 23. c. XVI, 11. & c. XXVII, 7. videre licet: Conſtat enim Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ, Gentilium & Judæorum conſuetudines, qvantum poterant ſimilitudine aliqva ſecutos & æmulatos eſſe, qvo invidiam eorum, qvantum fieri poterat, declinarent, qvod confirmat Gregor. M. Tom. 2, oper. lib. 9. epiſt. 71. Theodoretus de Græcarum affectionum curatione, ſermon. 8. Hæ vero frugales Agapæ paulatim in ganeas & luxum abierunt: opulentiores enim neglecto ſalutari cœnæ Dominicæ uſu, ſub illius prætextu ſumptuoſa ſympoſia inſtituebant, & ſolis cum ſuis luxurioſe convivabantur, illis interim non ſine publica contumelia eſurientibus, in qvorum gratiam potiſſimum agapæ illæ inventæ & conſtitutæ erant; ideoqve poſtmodum abrogatæ; & in Concilio Laodiceno vetitæ, Canon. 27. & 28. Inter qvos Lurcones & impoſtores hi à Juda numerantur, qvi dum epulabantur, una cum fidelibus, genio ſuo indulgebant, & qvomodo ſeipſos paſcerent, ſolum curabant, parum de pauperibus & egenis ſolliciti, neqve ulla DEI aut Eccleſiæ reverentia afficiebantur; Similes illis paſtoribus, in qvos DEUS ita invehitur; *adipem comeditis, & lanam induitis, quod opimum eſt mactatis. gregem autem non paſcitis* Ezech. XXXIV, 3. de qvibus ſcite alicubi Bernhardus inqvit, *ſunt pauperes ſine defectu, & humiles ſine deſpectu*; Eos igitur σπιλάδας maculas appellat Iudas; Auguſtinus lib. de fide & operib. concrete interpretatur *maculatos*; Petrus σπίλους ϗ μώμους *labes & maculas*: ſicut tenim maculæ faciem devenuſtant, ita iſtorum hominum præſentia Agapas piorum deformabat, ac dehoneſtabat; ſiquidem ſpecie amicitiæ & ſanctorum convivio-

wiviorum „ inexplebiles carnis voluptates ſectabantur, iisqve velut pallio, odium in Eccleſiam conceptum obtegebant: qvarum macularum mores ut magis in apricum ſiſtat, qvatuor ſimilibus è rerum conditarum natura deſumtis, puta nubium, arborum, fluctuum & ſtellarum, qvas diſcurrentes vocant, utitur, ita ut in ſingulis maleficium & ſupplicium lateat; *Sunt*, inquit, 1. Νεφέλαι ἄνυδροι ὑπὸ ἀνέμων περιφερόμεναι: *Nubes ſine aqua à ventis circumactæ.* Petrus inqvit 2. ep. II, 17. *fontes ſine aqua, nebulæ turbinibus agitatæ*, ubi obiter notandum, ſcripturam & hic, & in ſeqventibus comparatis, non adhibere Philoſophorum ἀκρίβειαν, ſed ratione populari uti in nominandis rebus, itaqve nubes hic dici ἀνύδρους, δοξαστικῶς (proprius enim nubium fœtus ſive partus, ut ita loqvar, videntur eſſe pluviæ, ad qvas tanqvam cœleſtes & ſublimes utres à Deo ſunt conditæ & conſtitutæ; qvare etiam aqvæ vocantur Pſal. CIV, 3. & Pſal. CXLIIX, 4.) à Philoſophis eas *nebulas* appellari, *quæ ἄνυδροι & ἄγονοι ſunt*, teſte Philoſopho lib. 1. de meteor. cap. 9. & ut aëre craſſiores, ita nube rariores ſunt, quaſi dicat, ſunt Impoſtores iſti nubes ſine aqua, id eſt, plane ſteriles, aridi & vacui, qvi ſcientiam qvidem jactantes, oſtentatione pollentes, in verbis leporem, in ſententiis acumen præ ſe ferentes, intus tamen infœcundi, & aqva conſolationis ac inſtitutionis vacui ſunt; qvi plurimum qvidem faciei habent officiendis impoſtorum mentibus; Sed veritatis atqve ſoliditatis nihil, atqve hinc exitus & ſupplicium iſtorum, qvod videlicet à ventis & turbine præ levitate facile circumagantur, & diſſipentur; non enim ſunt ſimiles denſis illis ac atris nubibus, qvæ pluviam dare ſolent, ſed levibus ac ſterilibus illis, qvæ in aëre huc atqve illuc feruntur, & volitant, ſecundum qvod à vento impelluntur, è qvibus omnino nihil ſeqvitur, niſi qvod aliqvando, in maximam procellam erumpant, qvo referenda verba Salomonis Proverb. XXV. *Nubes atque ventus absque imbre eſt, qui magnifice pollicetur, ſed præſtando fallit*, ita Paulus qvoqve inſtabiles deſcribit, qvod *inſtar puerorum fluctuent, & circumferantur quovis vento doctrinæ*; Eph. IV, 14. & Iobus cap. XV, 2. aſſerit, *impios & ejusmodi ſeductores reſpondere ſcientiam ventoſam*, id eſt, evanidam,

qvæ

qvæ nihil habeat præter verba in fumum abeuntia ; *ac impleat Euro ventrem ſuum diſceptandi verbo quod non prodeſt & ſermonibus, qvibus non proficiunt*, h. e. intus in animo vanas, procelloſas ac fluctuantes cogitationes admittere. Ieremias cap. 22. vocat *paſtores, quos ventus depaſcet.* Comparantur 2. *arboribus*, quâ ſimilitudine ſcriptura freqventiſſime utitur, qvia naturam & ingenium hominum tam bonorum, qvam malorum, luculentiſſime & appoſite exprimit, qvod enim in arboribus vis vegetandi, radix, truncus, ſurculi, froudes, rami, folia, illi in homine reſpondet anima vivens, caput, corpus, venæ, brachii, manus pedes. Hinc Chriſtus *bonos homines bonis aſſimilat arboribus, malos vero malis*: Matth. VII. 15. & ſeq. Impoſtores hoc loco dicuntur, δένδρα φθινοπώρινα ; qvod pleriqve exponunt arbores autumnales, nempe pro naturali autumni impotentia emarceſcentes, ac putreſcentes, qvia *autumni hæc natura, ut corpori afficiat putredine*, notante hic B. Luthero ; hinc Juvenalis Satyr. 4. jam letifero cedente pruinis autumno, jam qvartanam ſperantibus ægris : Sicut enim hæ in autumno ſpem fructuum faciunt, ſed inanem, deficiente enim ſucco marceſcunt. Ita ſeductores inferre vult, carent ſucco ſanæ doctrinæ, ac licet ad tempus florem qvendam oſtentant, paulo poſt tamen flacceſcunt, nec fructum ullum ferunt, hinc ſtatim ſubjicit, qvod ſint *arbores infrugiferæ & bis emortuæ, quæ in ignem ſunt conjiciendæ* Joh. XV, 2. Matth. VII, 19. ſiqvidem *terram inutilem reddunt, ſolumque ſterile efficiunt* ; Luc. XIII, 7. vocabulum bis ſumitur numero certo pro incerto, & eſt dictio non tam *quantitatis*, qvam *qualitatis*, hoc eſt *omnino, penitus, plane*, ut vult Paræus C. L. qvaſi dicat ; Seductores illi ſunt plane ἄκαρποι, neqve in DEUM honorifici, neqve propinqvis utiles, nihil enim honeſtatis relucet ex illorum converſatione, nihil pietatis ex tota vita, nihil utilitatis ex illis ad proximum redit ; omnibus ſunt impedimento, nemini uſui, *participant & edunt opera illa infrugifera tenebrarum*, Epheſ. V, 11. inde ſeqvitur exitium illorum, qvod ſint eradicatæ, jamqve non amplius arbores, ſed trunci ac ſtipites everſi, ita & hi ſeductores, inferr, ſunt eradicati, adeoqve vix ſpes ulla revireſcendi ac reviviſcendi in Chriſto ſu-

pereſt illis; *evelletur enim de terra viventium radix eorum* Pſal. LII, 7. nam *ecce dies ille adveniet, ardens tanquam fornax, quo erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes improbitatem, ſtipula & inflammabit eos dies ille venturus; ait Jehovah exercituum adeo ut non derelinquat eis radicem aut ramum*, Malach. 4. Dicuntur 3. *undæ ſive fluctus maris efferi, deſpumantes ſua ipſorum dedecora*; idqve ob ſummam inconſtantiam & vanitatem; ſingulis enim momentis moventur & modo huc modo illuc, modo ſurſum modo deorſum devolvuntur, ſicut mare concitatum nulla tranquillitate fruitur, poſt longam vero inqvietudinem ſordes tandem ſpumarum ſuarum ejicit, qvod notatur à Jobo c. XXXIIX, 8. *quis cohibuit mare vallis, qvum erumperet, ut egrederetur ex utero.* Simili ratione ſeductores iſti, agitati fluctibus impietatis, & *circumactiventis falſæ doctrinæ, tranquillitati ſe minime dant, ſed fluctuant*; Eph. IV, 4. peccata peccatis cumulant, inſidias inſidiis annectunt, neqve ad qvietem ſe componunt, donec tranquillum Eccleſiæ ſtatum turbarint, piosqve ſecum in barathrum perditionis allexerint; ut non incommode de illis efferatur illud Salomonis Prov. IV, 16. *non dormiunt illi, niſi malefecerint, & eripitur ſomnus illorum, niſi fecerint, ut impingat quiſpiam*; exitus eorum vero ſeqvitur, ſiqvidem nihil aliud agunt, dum ipſi omnia inqvietant, quam ut dedecora ſua deregant ac ſeipſos proſtituant, de qvibus Paulus 2. Tim. III, 8. 9. *Sunt homines corrupti reprobi circa fidem: ſed non proficiunt amplius; nam amentia eorum manifeſta eſt omnibus.* 4. demum vocat eos Apoſtolus, *ſtellas errantes quibus caligo terrarum in æternum ſervata ſit*, per Stellas erraticas hoc loco non intelliguntur planetæ, qvæ contrario motu feruntur à cæteris aſtris, ſed meteorum iſtud, qvod Ariſtot. lib. I. meteor ἀστέρας διαθέοντας, id eſt, *ſtellas diſcurrentes* vocat, qvia revera ſtellæ non ſunt, ſed aëris ſicci inflammationes in longum ductæ cadentibus ſtellis, ſive ut Plin. lib. 2. natur. hiſt. cap. 8. appellat, *deciduis* perſimiles: adjunctum harum ſtellarum, ſive exitum innuit Judas, qvod *perpetua nimirum nocte condantur*, nec ullum relinqvant ſui veſtigium; Tales, inqvit, ſunt ſeductores, ſplendere aliqvandiu videntur, ſed nec recte nec conſtanter cur-

runt, sed in aviis peccatorum oberrant, imo fucata lucis specie incautos à via veritatis, ad latibula errorum abducunt; hinc in herba suffocantur, & æternis tenebris reservantur.

21. Postqvam variis adjunctis & effectis Impostores hactenus descripsit Thaddæus; illisqve præsentissimum exitium denunciavit; dicta sua ulterius confirmat autoritate prophetica, qvam nemo nisi impius in dubium vocârit, nemo nisi blasphemus contemserit, nemo, nisi obstinatæ malitiæ notâ insignis, negaverit; dicens: v. 14. προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ Ἐνὼχ, λέγων, ἰδοὺ ἦλθε κύριος ἐν μυριάσιν, ἁγίαις αὐτοῦ. v. 5. ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν ὧν ἠσέβησαν, καὶ περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, ὧν ἐλάλησαν κατ' αὐτοῦ ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς. *Prophetavit etiam de istis septimus ab Adamo Enochus, dicens, Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis, ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat ex ipsis quicunque sunt impii, de factis omnibus, quæ impie egerint, deque omnibus duris, quæ locuti fuerint adversus ipsum impii.* Videtur hic qvibusdam, qvod superius fuit monitum Thes. 4. unus ex difficillimis hujus Epistolæ locis, ob qvem nonnulli eam è canone olim excluserunt, qvia tamen hæ & aliæ rationes contradicendi satis cum reliqva scriptura canonica conciliatæ sunt, & plurima supersunt vetustatis sacræ testimonia de ejus divina autoritate, neqvaqvam hodie in Ecclesia à nostris cum qvoqvam contenditur. Consideranda autem hoc loco præcipue se offerunt; 1. Propheta, sive Autor à Juda cicatus, 2. Prophetia ipsa; Autor horum verborum, sive Propheta describitur, qvod sit ἕβδομος ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ, Ἔνοχ; cujus notandum 1. nomen, Genes. V, 21. scribitur חֲנוֹךְ Veteres autem, qvod per chateph patach, a brevissimum sive raptum, hodie est sub notatum, cum chateph segol e brevissimo legisse videntur; Non enim Hanoch, Sed Henoch constanter in eorum libris tam Græcis, qvam latinis, legitur: Scribarum autem vitio, aspiratio tandem plane omissa fuit, & lectum, Enoch; ut observat Joh. Drusius in suo Henocho; cap. 1. & 2. Estqve Henoch idem, qvod Initiator sive Dedicator, qvia pro virili initiare & dedicare congregationem DEI annisus est,

quæ eo tempore malitia hominum turbabatur, à radice חָנַךְ: inie-
avit, primum imbuit, dedicavit; Deuter. XX, 5. 2. Par. VII, 5.
Duo, ut idem notat Drusius cap. 3. *fuere Henochi, Senior & Junior;*
ille fuit filius Cain, cujus fit mentio Genes. IV, 17. qui perperam à
nonnullis confunditur cum Enoso filio Sethi Genes. V, 6. cujus
tamen patruelis fuit. *Hic, junior Henochus filius Jared, fuit oriun-*
dus ex posteris Sethi; Genus ejus; qvod 2. notandum, describitur
ab adjuncto numero, qvod fuerit septimus ab Adam, inclusive,
nimirum ut is includatur, idqve ex Genealogia decem Patrum, qvæ
texitur Genes. cap. V. & Luc. III, 37. hoc ordine; Adam, Seth,
Enos, Kenan, Mahalaleel, Jared, Enoch: Omittitur Abel, quia
nullam habuit prolem, occisus à fratre Caino, qvi itidem ob fra-
tricidium commissum in censum Patriarcharum non venit: Trit-
avum itaqve habuit Adamum, qvi filius DEI vocatur. Luc. III,
v. ult. atavum Sethum, abavum Enochum, proavum Cenanum,
avum Mehalaleelem, parentem Jaredum, qvi ipsum genuit anno
ætatis suæ 167. Anno mundi & Adami, 622. Observanda 3. vita
ejus, qvæ ratione durationis trecentorum sexaginta qvinqve an-
norum; (genuit filium Mathusalemum, longitudine dierum
omnes mortales superantem,) eamqve egit sanctissimam; ut patet
ex v. 22. & 24. cap. V. Geneseos: Hebr. XI, 5. Syrac. XLIV, 16. qvæ
phrases licet aliter atqve aliter ab interpretibus exponantur, in
idem tamen explicationes eorum ferme recidunt; qvod nempe
ita pie vixerit, qvasi DEUM semper in oculis præsentem haberet
& revereretur, ideoqve in omni Opere cautus, modestissimus,
religiosissimus semper incesserit; qvamvis autem excellentia
qvædam sanctitatis morum, his elogiis, Enocho tribuatur; non
tamen exinde omnimoda & absoluta operum perfectio fingen-
da, qvam intendit hic Cornel. à Lapide; multo minus, qvod
fuerit Angelus incarnatus, sicut Judæi & Rabini qvidam som-
niarunt, aliud enim vis Phraseon istarum suadet, nempe qvod
vir sanctus fuerit, qvi coluerit DEUM in veritate, ipsiqve ob hoc
placuerit; Speciales actiones vitæ ejus qvod attinet, scriptura
fere nullius meminit, licet Hebræi tradant ipsum contra impios
Caini posteros continua bella gessisse, qvorum fides esto penes

aucto-

auctores; nisi qvod Judas hic edisserat, eum prophetasse; unde qvidam conjiciunt, eum fuisse Prophetam, & futura ex revelatione divina prædixisse; utut enim non fuerit vates κατ' ἐξοχὴν sic dictus, ut cæteri Prophetæ post latam legem; qvi peculiariter dono Prophetiæ instructi fuerunt, negari tamen vix potest, eum ex pio Zelo flagitia & peccata impiorum taxasse, ponendo illis ob oculos severum DEI judicium, & ad posteros sinceram doctrinam ut propagaret, studuisse; fuit præterea illud Patriarchicum ævum illustre multiplicibus divinis revelationibus, ideoqve Abraham nominatur à DEO Propheta Gen. XX, 7. & Propheticæ sane fuerunt benedictiones patriarcharum; Noachi Genes. IX, 26. 27. Abrahami, Isaaci, Jacobi & Josephi; De qvo venerandus *Dominus D. Dorschæus* in Auctarii sui dissertat. 1. de Propher. Henoch. in fine, thes. 6. *Illud certum est*, inqvit, *Henochum officium Propheticum in Ecclesia DEI administrasse; Credibile etiam est, illum à majoribus suis, qui ipso vivente omnes sex superarunt, fuisse ob rarum pietatem, & divinas illuminationes, ad sacrorum administrationem adhibitum, & Patriarchalia officia in multis executum esse, cumprimis vehementissimis concionibus, ut loqvuntur, & commonitionibus: Quæcunque autem illa fuerint, nihil eorum ad nos pervenit, nisi sola ea doctrina ac Prophetia, cujus Judas facit mentionem, adeoque mirum & omnibus aliis, (non enim verisimile est, hanc unicam ab eo promanasse) hanc unicam conservatam, & ad nos usque propagatam esse; Hinc quidam indubitato asseruerunt, Enochum scripto, sive libro quodam comprehendisse hoc oraculum, cui postmodum titulus, liber Henochi infixus fuerit; eumque Judæ tempore verum & Canonicum in manibus hominum fuisse, referunt Tertullianus, libr. de cultu fœmin. p. 516. & de habitu muliebri, p. 506. ut & in fine libri de Idololatria. Et Beda, quorum ille locis citatis asseruit hunc ab Enocho conscriptum à Noacho fuisse conservatum in arca, ac durasse usque ad Apostolorum tempora; & quia illustria hinc de Christo testimonia produci poterant; Judæos malitia ductos librum totum suppressisse: Alii vero librum hunc inter Apocrypha numerant, inter quos Augustinus, qui lib. 15. de Civit. DEI in hunc modum scribit; cap. 23. & lib. 18, 38. Omittamus igitur earum scripturarum fabulas, quæ*

Apocrypha nominantur, eo quod earum occulta origo non claruit Patribus; à quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima & notissima successione pervenit. In his autem Apocryphis, etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est Canonica autoritas: Scripsisse quidem nonnulla divina illum Enoch septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in Epistola Canonica Judas dicat, &c. Similiter sentit Origenes in Numer. homil. 28. & comment. super Joh. Videatur Sixtus Senensis, Biblioth. sanct. lib. 2. pag. 64. Et est hic liber diu in Ecclesia circumlatus, ex qvo varia produxit Josephus Scaliger, in notis suis Eusebianis p. 244. imo adhuc suo tempore extitisse testatur *Joh. Drusius* in suo Henocho c. 22. *quando*, inqvit; *Librum hunc hodie adhuc extare apud Judæos, dubitare me non patitur Manachemus Ricinensis, qui eum aliquoties laudat, ut fol. 30 col. 1. 2. & fol. 133. col. 1.* Verum qvemadmodum prior sententia nec probabilis est, nec ab Apostolo Juda confirmatur, Judæi enim, qvibus concredita erant τὰ λόγια τῦ θεῦ Rom. III, 2. nullum librum ab Enocho conscriptum habuerunt, de qvo testis omni exceptione major, *Josephus*, qvi libr. 1. contra Appionem; sunt, *ait, apud nos solummodo duo & viginti libri, habentes totius temporis conscriptionem, quorum juste fides admittitur: ita nec posterior Apodictica & indubie vera; Potius* jure tam ancipiti, salvis tamen aliorum judiciis, cum illis facimus, qvi dicunt, *Enochus pie sententiam hanc pronunciasse adversus impios tam sui temporis, quam seculi futuri;* cui assertioni favere videntur verba, προεφήτευσε λέγων, prophetavit dicens, qvamvis & ii, qvi scripto aliqvid proferunt dicere & loqvi dicuntur, ut sæpe scriptura dicitur loqvi, Matth. II, 17. cap. VIII, 17. Jac. II, 23. Rom. X, 11. atqve Judam hanc prophetiam è S.S. inspiratione accepisse, qvum eodem Spiritu, qvi Mosi revelavit antediluviana, Judas agitatus fuerit: ut opus non sit hic ad traditiones, de qvibus nullum usqvam vestigium est, confugere. Causas cur Judas hanc potius Prophetiam, (cujus dubia videri poterat autoritas,) qvam aliam, nimirum ex Dan. VII, 18. Matth. XXV, 31. ex scripturis canonicis adduxerit, has solent dare; factum id esse *ob singularem fidem, sanctitatem, & gravitatem hujus viri, à quo hoc vaticinium*

profectum

profectum eſt, propoſitum enim eum eſſe generationibus in exemplum pœnitentiæ, Siracides aſſeverat; cap. XLIV, 16. qvis igitur fidem non adhiberet viro in pietate & fide in DEUM, fidelitate in officio claro; propterqve inſignem vitæ ſanctimoniam in cœlum translato? Deinde *ob vetuſtatem*, qva voluit Judas oſtendere, qvod S. Sanctus jam olim à primis mundi ſeculis incredulis judicium & damnationem prædixerit, adeoqve vel ob antiqvitatem fidem mereri; ea enim tempora plus religionis, candoris, & innocentiæ habuerunt, qvam ſecuta, idioqve nulla ratione indubium vocari poſſunt, tanqvam ſi partium ſtudio aliqvid darent; tum ob certitudinem & convenientiam: Prædixit enim Enochus inſtantem mundi interitum, non proprio motu, ſed inſtinctu Sp. Sancti; *DEus enim loqvutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt, Prophetarum ſuorum:* Luc. I, 70. *certitudinis ac veritatis nota in prædictione apparuit, qvando eventus prædictioni reſpondit, poſt 670. circiter annos, ſeculo diluvio:* Ratio etiam argumenti Judæ ſvaſit, hoc vaticinium ut illis proponeret, qvia id viſum eſt & revera fuit convenientiſſimum, ut cum publico graviſſimoqve crimine, antiqviſſima prophetia & judicio ſeveriſſimo compararetur iſtorum hominum crimen; ut Apoſtolica hac Prophetia (ſi fieri poſſet) ab impietate ſua deterrerentur, ac converſionem maturarent, DEO gloriam dantes, anteqvam judicium ejus exundaret; qvæ rationes, cum à Sibelio adducantur, prolixius ibi legi poterunt; Concin. 41. in epiſt. Jud. pag. 230. 4. demum notandus Henochi ex his terris exceſſus, & ſtatus ejus poſt exceſſum; qvi ſignificantur Geneſ. V, 24. qvod nempe *ambulaverit cum DEO, & non ipſe*, qvia tulit ipſum DEUS; anxie hic diſqviritur à pontificiis, num per mortem exceſſerit ab his terris, divinitus maturatam; an vero vivus in alium translatus ſit ſtatum? De qvibus videri poteſt luculentiſſima D. Dorſchei de Prophetia Henochi diſſertatio, theſ. 14. & ſeq. Druſius verba, *non fuit ipſe*, probat etiam de morte naturali dici in ſacris literis, non tamen vult eum per ſeparationem corporis ab anima more reliqvorum Patriarcharum naturæ debitum perſolviſſe, *cum ſcriptum verbum moriendi de eo non uſurpet; & Apoſtolus dicat, translatus eſt, ne videret mortem,*

rem, potuisse autem alia morte mori, siquidem moritur etiam is, qui demutatur, & qui exuit corruptibilem naturam, & qui moritur in peccatis. Hæc ille, capite 11. & 12. magis illustrat; Aliorum sententias ne tangamus, id certum est ex Genes. V, 24. Singulare aliqvid fuisse in excessu Enochi ab his terris, fuisse aliquam translationem & traductionem ex statu terreno in statum alium; Vivum itaque corpore & anima translatum eum esse, quanquam conjuncta immutatione, concludimus, siquidem circumstantia nulla suadet, ut à genuino significatu ad translatitium deflectamus; Insuper verbum לקח, quod hic usurpatur, de viventis Eliæ visibili translatione usurpatur, 2. Reg. II, 5. non igitur est quod à Veterum Ecclesiæ Doctorum consensu recedamus, & verba illa sive de morte naturali, sive de morte peccatorum interpretemur. Status Henochi post excessum ex hoc mundo, DEO soli perfecte notus est; Scholastici tamen & Pontificii recentiores infinitas fere de illo quæstiones moverunt, quas si quis cum earum accurata resolutione conjuncta legere desiderat, adeat disputationem dictam D. Dorschei thes. 17. 18. & seq. & Drusii Henochum cap. 13. Videamus nunc breviter ipsam Prophetiam; in qua consideranda Judex cum assessoribus, & rei judicandi; Antequam judex nominatur, præmittit Apostolus particulam ἰδὲ, Ecce, usitatam alias prophetis in V. T. imo quam frequenter ipse adhibuit Salvator, & Apostoli in N. Testam. ad notandum aliquid repentinum & admirabile, sed tamen certum, & quasi in oculus jam incurrens, hanc enim vocis hujus ἐνέργειαν esse patet ex aliis locis. *Verbis venit Dominus, cum sanctis suis millibus*, definiuntur, Judex & judicii Assessores; Judex est κύριος nempe Christus, quem David *Dominum suum* vocat, Psal. CX, 1. cujus Judas hic est δοῦλος, in & à quo fideles sunt κτητοὶ ᾗ τετηρημένοι, à quo *fides semel tradita dicitur Sanctis*, v 3. cujus *gratiam impii transtulerunt ad ἀσέλγειαν*, v. 4. quemque *ut DEum, & solum verum ac Dominum negaverunt*; v. 5. qui est κύριος *salvans populum ex Ægypto*, v. 5. &c. cujus est *gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omne seculum & nunc, & in omnia secula seculorum* v. 25. Hic adsessores habet *sanctorum Myriades*, quo nomine signi-

ſignificari putamus, non tantum Angelos bonos, ſed etiam beatos homines, tum in cœlo cum Chriſto regnantes, tum *in occurſum Domini de terra in aëra, in adventum ipſius rapiendos*, 1. Theſſ. IV, 17. utique enim & illi ornabunt tribunal Chriſti, juxta effatum ejus, Matth. XIX, 28. Luc. XXII, 30. *Amen dico vobis, vos qui conſeqvuti eſtis me, in regeneratione; qvum ſederit filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebetis vos etiam in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël*; cui conſona profert Paulus, 1. Corinth. VI, 2. *An ignoratis ſanctos mundum judicaturos?* quorum qvum ſit magnus numerus, jure myriades dicuntur; qvæ vox denotat in ſcriptura alias certum & definitum numerum, nempe decem millia, alias indefinitam, & inexiſtimabilem multitudinem, ut hoc loco; omnes enim venient, non qvidem, ut ſententiam definitivam ferant, (qvia *omne judicium Chriſto traditum*, Joh. V, 12.) ſed ut majeſtatem ac pompam judicis adaugeant, & velut aſſeſſores, Regis immortalis ſententiam latam approbent, dicentes; *Juſtus es Jehova, & rectus in judiciis tuis* Pſal. CXIX, 137. Certitudinem judicis adventuri ſignificat verbum *ἦλθε venit*, indefinitum ſecundum pro futuro more prophetarum uſurpans, q. d. Adventus Chriſti ad judicium, tam certo eſt futurus, ac ſi jam adventaſſet, aut præſens oculis noſtris exhiberetur; qvamvis ergo Henochus de re multis poſt ſeculis futurâ loqvatur, tamen aoriſto pro futuro tempore utitur, ut Prophetiæ veritatem ſanciat. Judicandi ſeu Rei judicio ſiſtendi ſunt omnes homines, (*ut ferat judicium ſuper omnes*,) juxta dictum conſonum Rom. XIV, 10. Pii autem ſiſtentur, non ut judicium exerceat Dominus adverſus illos, ſed pro illis; ſiqvidem audient vocem abſolutionis, impii vero condemnationis; qvam Judas exprimit, inqviens, *ut redarguat impios, de factis omnibus quæ impie patrarunt, deque omnibus duris, quæ locuti ſuerunt, adverſus ipſum peccatores impii*: Vocabulum redargutionis duo potiſſimum importat; 1. Convictionem in conſcientiis impiorum, de omnibus malis eorum cogitationibus, verbis & factis; quod explicat Johannes Apoc. XX, 21. *Vidi mortuos parvos & magnos ſtantes in conſpectu DEI, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt liber*

liber vitæ, judicatique sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris (puta cujusqve hominis in specie conscientiæ) secundum opera ipsorum. 2. pœnam qvæ convictionem seqvitur; (*Hoc* enim *DEI jus est, nempe eos qui talia faciunt, dignos esse morte.* Rom. I, 32.) adeo ut sentiant se juste damnari, & plane obmutescant convicti de suis iniqvitatibus, Matth. XXI, 12. Psal. CVII, 42. Causas, cur sint redarguendi & puniendi impii à Christo, potissimum duas profert Apostolus; 1. *Actiones*, qvæ comprehenduntur verbis; *περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν, ὧν ἠσέβησαν*, id est omnia facta eorum impia & scelerata, sive contra primam, sive secundam legis tabulam commissa; omne enim peccatum, qualecunque sit, etiam contra proximum admissum, continet in se neglectum seu defectum officii alicujus, qvod DEO debetur; unde Iohannes, *Peccatum*, inqvit, *est legis transgressio*, 1. Ioh. III, 4. & pœnam meretur, hæ impiæ eorum actiones luculenter describuntur, in hac ipsa Epistola Iudæ, v. 4. 5. 10. 11. 12. 13. 16. 18. 19. 2. *Verba:* hisce comprehensa; *περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, ὧν ἐλάλησαν κατ' αὐτοῦ ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς.* Dicta qvidem hoc loco præcipue, de blasphemiis adversus DEUM & Christum prolatis intelliguntur; ita tamen ut non excludantur ea, quæ adversus proximum committuntur, cum Christus Matth. XII, 36. asserat, *de omni otioso verbo rationem esse reddendam*; quod ibi est *ῥῆμα ἀργὸν*, hic est *λόγος σκληρὸς* verbum curvum, durum, inconveniens & impium; Paulus vocat *σκληρότητα* Rom. II, 5. Christus vero *σκληροκαρδίαν* Matth. XIX, 8.

22. Applicat hoc vaticinium porro ad seductores sui temporis, idqve ideo, ne rentur, homines prisci illius seculi, qvi tempore Henochi Ecclesiam impietate sua vastabant, comminationes has concernere tantum, non eos, qvos impune liceat opera tenebrarum exercere, v. 16. Οὗτοί, inqvit, εἰσὶ γογγυσταὶ, μεμψίμοιροι; κατὰ τὰς ἐπιθυμίας αὐτῶν πορευόμενοι; καὶ τὸ στόμα αὐτῶν λαλεῖ ὑπέρογκα, θαυμάζοντες πρόσωπα, ὠφελείας χάριν. *Hi sunt murmuratores, queruli, in cupiditatibus suis incedentes, & quorum os loquitur prætumida, admirantes personas utilitatis gratia*, repetit hoc versu duas illas peccati species, qvarum in Prophetia

phetia Enochi meminit, actionum nempe & dictorum; ac oſtendit ſeductores earum reos eſſe, idcirco DEum, qvi juſtiſſimus eſt, & ſemper ſui ſimilis, juſtum judicium adverſus eos inſtituturum: Dixerat Enochus, impios homines impia patraſſe facta, propter qvæ in extremo judicio condemnandi forent; Carpit hic Apoſtolus impia Impoſtorum facta, qvando dicit, eos incedere in ſuis cupiditatibus ſcil. carnalibus; hanc operum impietatem ſupra v. 4. 12. latius expoſuit, & v. 18. infra exponit, ideoqve paucis hic enodanda. *Phraſi Hebræa*, inqvit Pareus l. c. in Epiſt. Iudæ; pag. 1062. *hoc dicitur de iis, qui in peccatis ſuis perſeverant; nam ante regenerationem hæc communis eſt via omnis carnis, ut teſtantur dicta Scripturæ, Rom. IIX, 1.4. ambulare ſecundum carnem, 2. Cor. X, 3. ambulare in carne, 1. Cor. III, 3. ſecundum hominem ambulare: Gal. V, 16. perficere deſideria carnis. 2. Pet. III, 3. juxta proprias concupiſcentias; Homo vero regeneratus per Sp. Sanctum, iſtam carnis intemperiem ſtudet domare, & DEO placere:* Hoc carnalis concupiſcentiæ morbo hi fanatici correpti fuerunt; hæc ſiqvidem omnium malorum eſt radix, & fons appetitionum, ex qvo voluptatum ſtudium manat; in his cupiditatibus *incedere* dicuntur, metaphora deducta à viatoribus, qvi via aliqva incedunt, qvæ aliqvando in ſacris rationem & inſtitutum vivendi ſignificat, ut Ierem. VI, 16. interdum vero pro inveterata conſuetudine ſive bona ſive mala ſumitur; ut Ierem. XXII, 21. atqve hoc poſteriori ſenſu profani iſti in cupiditatibus ſuis inceſſerunt, id eſt, habitum ex freqventibus peccandi actibus contraxere, ita ut peccata ipſis in conſuetudinem abierint; Verum, ut Salomon revocaturus adoleſcentem à conſuetudine animi ſui, addit, *cognoſce, fore ut propter omnia hæc adducat te DEus in judicium;* Sic Iudas eodem fine, ſectatores hos, cupiditatum ſuarum coram tribunali DEI juſtiſſimo in extremo judicio ſiſtendos, juxta Prophetiam Enochi, aſſerit: Qvales erant actiones, talia etiam erant verba & cogitata eorum ex corde tetro provenientia; hinc vocantur à Iuda *murmuratores*, μεμψίμοιροι ſive *queruli*, qvi contra DEum ejusqve providentiam murmurabant, & non contenti

ſorte ſua, de ea graviter conqverebantur & fictis miſeriæ ac egeſtatis ſuæ qværelis alios pecunia emungebant, qvod impietatis animi & oris evidentiſſimum ſignum eſt; *Pii* enim è contra *in DEO unice acquieſcunt*, & afflicti cum Davide gemunt; *obmutesco, non aperio os meum; quia tu feciſti* Pſalm. XXXIX, 10. ſunt hæc duo vitia valde ſibi affinia, ideoqve conjungenda, cum ferme poſterius videatur prius exprimere; graviter autem à DEO plerumqve punita, præſertim in Iſraëlitis; ut teſtatur liber Exodi, & Numerorum. Præterea, inqvit Apoſtolus; *os eorum loquitur tumida ſuntque admirantes perſonas utilitatis gratia.* Impios peccatores redarguendos de omnibus duris, qvæ loqvuti fuiſſent adverſus Dominum, prædixerat Henochus; teſtatur itaqve Iudas Empectas ſui ſeculi eidem ſe obſtrinxiſſe ſceleri, & grandiloqventiam eorum hic depingit; Simile de illis ediſſerit Petrus 2. Epiſt. 2, 18. *eos* nempe *loqvutos eſſe, quæ prætumida vanitas ipſis dictabat*; quæ vera & infallibilis improborum nota eſt, fatente Davide; Pſalm. XVII, 10. *ore ſuo loquuntur ſuperbe*, Salomone, Proverb. XIV, 3. *Ori ſtulti ineſt baculus ſuperbiæ*, qvod feciſſe hos ſeductores ſatis ſuperqve demonſtrant, verſus, 4. 8. 10. & 18. hujus Epiſtolæ, ideoqve pœnam prædictam ab Henocho eos meruiſſe, abunde conſtat: Inſuper aliud eorum vitium taxat Apoſtolus, quando eos *admirantes perſonas utilitatis gratia* dicit; quo ipſo notatur, peſſima illa & in verbo divino adeo ſerio prohibita hypocriſis & adulatio, quæ ut communiter propter externa & ventrem ab hominibus adhibetur, ita & ab his in eundem vertebatur finem, dum admiratione potentiæ & autoritate magnorum ducti ac excœcati, turpi adulatione gratiam eorum & benevolentiam venabantur, actionesque, mores, & verba ſua, ad illorum voluntatem, ventris cauſa accommodabant; de qvibus Paulus Rom. XVI, 18. *Qui ejuſmodi ſunt*, inquit, *Domino noſtro Jeſu Chriſto non ſerviunt, ſed ſuo ventri, & per blandiloquentiam & aſſentationem corda hominum minime malorum ſeducunt.*

23. Vidimus hactenus argumenta Apoſtoli ἀποτρεπτικὰ ſive dehortatoria, quibus fideles à fugiendo ſodalitio & technis ſedu-

seductorum dehortatus est, videtur porro in id intentus esse ut eosdem firmiter in fide sua stabiliat, qvo fine argumenta quædam parænetica adhibet, quibus serio adhortatur eos, ut constanter in agnita doctrina fidei semel traditæ perseverent; imitatus exemplum magnanimi & prudentis militiæ ducis, qui, animadvertent hostes in castra irruptionem facturos, primo exercitum suum de hostilibus insidiis & viribus commonet, ut singuli ad res suas attenti, mature arma capiant, quibus tecti ipsi esse possint, & lacessiti se defendere; deinde vero milites instruit, qua ratione feliciter arma tractent, ac fortiter hostem adoriantur; Duo autem in genere sunt, ad quæ hortatur illos; *Fides ipsa*, de qua v. 17. 18. 19. & *opera sive officia fidei*; de quibus vers. 20. 21. 22. 23. V. 17. igitur inqvit ὑμεῖς δὲ ἀγαπητοὶ μνήσθητε τῶν ῥημάτων τῶν προειρημένων ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων τ῀ κυρίȣ ὑμῶν Ιησ῀ Χρις῀, v. 18. Ὅτι ἔλεγον ὑμῖν, ὅτι ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ ἔσονται ἐμπαῖκται, κατὰ τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι, τῶν ἀσεβειῶν. v. 19. οὗτοί εἰσιν ἀποδιορίζοντες ἑαυτὰς, ψυχικοὶ, πνεῦμα μὴ ἔχοντες. v. 20. ὑμεῖς δὲ Ἀγαπητοὶ, ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίστει ἐποικοδομῦντες ἑαυτὰς, ἐν πνεύματι ἁγίῳ προσευχόμενοι. *Vos autem dilecti, memores estote verborum prædicatorum ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi. Quia dixerunt vobis, in extremo tempore futuros irrisores, qui in impiis suis cupiditatibus incederent; Hi sunt qui seipsos segregant, animales, Spiritum non habentes. Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes.* Qvum vero fides DEI verbo nitatur, ideo in memoriam revocat S. Judas verbum ab Apostolis prædicatum, una cum prædictionibus de Pseudo-Prophetis, & falsis doctoribus ac impostoribus à fide abducturis. Ἔννοια sive ἐυμένεια, ejus patet ex verbo Ἀγαπητοὶ, quo blando vocabulo versu etiam tertio usus est & 20. v. idem adhibet; qvam benevolentiam & reliqui Apostoli erga fideles declararunt; Rom. XVII. cap. 12. 19. 1. Corinth. X, 14. cap. 15, 58. Philip. II, 12. Hebr. VI, 9. Jac. I, 16. cap. 2, 5. 1. Petr. II, 11. cap. 4, 12. &c. Deinde attentionem capit dicens μνήσθητε, *Recordamini*, memores estote, ne ob-

livioni tradite es, quæ accepistis ab Apostolis; similiter ut Petrus suos ad Epistolas Paulinas remittit. 2. Petr. III, 15. 16. quod & alii Prophetæ & Apostoli fecerunt, dum præcepta salutaria sive exempla piis in memoriam revocârunt, ita Paulus Actor. XX, 35. dictum aliquod Christi inculcat & Hebr. XIII, 3. 7. exempla recentia ac vetera; pari ratione Malachias lectoribus & auditoribus suæ Prophetiæ dicit; *recordamini legis Mosis*, cap. 3, 22. imo Christus ipse vult fideles *meminisse uxoris Lothi*, Luc. XVII, 22. quia enim rerum utilium & salutarium ob memoriæ lubricitatem, & humanæ naturæ, quæ pronior ad retinenda mala, quam bona, infirmitatem, facile obliviscimur, hæc exhortatio instar tubæ fuit, qua soporati excitabantur, ut ad pugnam spiritualem se armarent. Materia, cujus reminisci debebant, erat *id, quod ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi prædictum fuerat*; Per Apostolos innuit Paulum & Petrum, post quos suam conscripsit Epistolam; Paulus quidem hæc prædixit, 1. Tim. IV, 1. 2. Timoth. III. cap. 4, 3. Petrus vero 2. Petr. II, 7. cap. III. ad quorum testimonium provocat Judas, ut testetur summum in doctrina consensum, quam scilicet nihil diversum ab illorum doctrina doceat & præcipiat. Erant enim Apostoli ab uno justitiæ sole cœlitus illustrati, ab una arbore vitæ, fructus doctrinæ salutaris decerpserant, ex eodem fonte aquas vitæ hauserant; nec ergo mirum, si unum dixerint, senserint, scripserint: tum quia ipse eventus prædictionis hujus veritatem comprobavit, ut colligitur ex v. 19. hujus Epistolæ: in specie vero quid prædixerint, indicat versus decimus octavus, ubi; *dixerunt vobis*, id est scriptis suis vobis reliquerunt; habuerunt enim vocationem generalem, *prædicandi Evangelium omni creaturæ*; Marc. XVI, 15. scil. rationali, *quod in extremo tempore futuri sint irrisores*, qui in impiis suis cupiditatibus incedunt: Per ἔσχατον sive extremum tempus intelligitur tempus post primum Christi adventum in carnem, & ascensionem in cœlum, usque ad finem mundi, & reditum servatoris ex cœlo; Esa. II, 2. hoc tempus cum proxime secundum Christi adventum ad judicium antecedat, nullumque aliud intermedium exspectan-

dum

dum eſt, merito extremum dicitur tempus : Hinc Paulus ; *Hæc omnia*, inquit, *ſcripta ſunt ad noſtri admonitionem, in quos fines ſeculorum devenerunt* 1. Cor. X, 11. nam qua hora ſive momento finis ſeculorum ſit complendus, latet omnes, imo ipſos Angelos ; Perſonæ quæ hoc tempore exſurgent dicuntur ἐμπαῖκται, *Irriſores* ; Pſalm. I, 1. & Prov. IX, 7. 8. לֵצִים Irriſores appellantur, qui impio & profano DEI contemtu excœcati, omnem religionem & ſanam doctrinam ſannis excipiunt, homines probos ac pios tanquam ſtultos deridendos ſibi propinant, ſibique ipſis in peccatis & ſceleribus blandiuntur, ac ad frugem ſe reduci minime patiuntur, omnia enim irriſioni habent, qvæ animi ſui libidini adverſantur. Facta horum Illuſorum egregia oſtendit Judas, inquiens, *quod ſecundum cupiditates ſuas incedant*, quæ verba, cum theſi præcedente ſint reſoluta, hoc loco præterimus : Signum, quo ab aliis dignoſci poſſint, tale illis adſcribitur, quod *ſeipſos ſegregent, ſint animales, ſpiritum non habentes* ; Quia videlicet iſti ſeductores & Illuſores ſibimetipſis fingunt peculiarem cultum, & veritatem Evangelii, quam alii profitentur, aſpernantur, ſeſe ſegregant ab illorum Eccleſia & cœtu ; *Eſt* enim ἀποδιορίζειν, inquit Junius Tom. I. Oper. Theol. ſuper Epiſt. Judæ ; p. 1687. *diſterminare, hoc eſt, non ſolum movere terminos doctrinæ, vitæ, cœtus à DEO poſitos ; ſed alios ſibi ex adverſo circumdare, & diabolico inſtituto univerſum opus DEI effingere, ut imperitiorum oculis faſcinatis neſciant, quo ſe vertant miſeri, & facile à Chriſto transferantur.* Cauſa hujus tam atrocis mali eſt, quia ſunt *animales, ſpiritum* (nempe DEI) *non habentes* ; qualem oppoſitionem ſæpius ſcriptura oſtendit ; Paulus enim, *Animalis homo*, inquit, *non eſt capax eorum, quæ ſunt Spiritus DEI* 1. Cor. II, 14. *Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt, qui vero ſunt ſecundum Spiritum, quæ Spiritus ſunt : nam quod ſapit caro mors eſt, quod autem ſapit Spiritus, vita & pax*, Rom. IIX, 5. 6. & Jacobus inter ſe opponit *ſapientiam ſuperne deſcendentem, & terrenam, animalem, dæmoniacam* c. 3, 15. fuerunt itaque hi Illuſores *homines carnales*, Gal. V, 15 Qui ſola anima rationali regebantur, & Spiritu DEI deducente & impellente

pellente in omnem veritatem destituti, de rebus divinis ex intelligentia naturali carnis judicare volebant.

24. Hactenus de verbo Apostolorum, quod in memoriam revocatum voluit Thaddæus: ut seductores à Verbo DEI, ac fide vera declinantes caveantur, ac fugiantur. Jam quod fidem ipsam, quam repetit amica illa προσφωνήσει, de qua supra, ἀγαπητοὶ, Dilecti, commendat, attinet, ut alias Apostolus noster in hac Epistola creber est metaphoris ita & hic fidei rationem similitudine fundamenti & ædificationis describit, hæc est fundamentum salutis nostræ, cui pii ut se ipsos superstruant, monet Apostolus, non enim debent illi in fide quiescere, sed superstruere, id est crescere & augeri, 2. Timoth. III, 17. 2. Cor. X, 15. Col. I, 10. Ephes. IV, 15. Hæc fides dicitur *sanctissima*, quô titulô nulla alia virtus Christiana in sacris literis insignitur, idque partim ratione objecti, puta Christi; quem apprehendit, qvi dicitur *Sanctissimus* Dan. IX, 24. *& nobis à DEO sanctificatio factus* 1. Corinth. I, 30. partim ratione efficientis Spiritus Sancti, qui per fidem intus sanctificat corda, & foris producit sanctos fidei fructus, internæ sanctitati respondentes: neque enim à nobis eam habemus, aut habere possumus cum sit *donum DEI* Ephes. II, 8. Sed *à DEO per Spiritum Sanctum, qui operatur omnia in omnibus*. 1. Corinth. XII, 6. fidem confert, unde *fidei Spiritus dicitur* 2. Cor. IV, 18. & *in nobis bonum opus incipit & perficit*; Philipp. I, 6. Hoc fidei nostræ fundamentum & columnam cum Satanas variis fraudibus ac dolis conetur evertere, Apostolus Judas instrumentum seu medium ostendit, quo fides in piis accensa fovetur, roboratur, & incrementa capit, nempe orationem nixam DEI promissione: *petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis: quisquis enim petit accipit, & qui quærit invenit; & ei qui pulsat aperitur*, Matth. VII, 7. 8. hinc Paulus subministrans varia arma, quibus acerrima illa pugna, fidelibus proposita dextre gerenda est, maxime orationem commendat, *in omni*, dicens, *precatione & obsecratione orate omni tempore, in spiritu, & ad hoc ipsum vigilate cum omni perseverantia & supplicatione pro omnibus sanctis*, Eph. VI, 18.

Inprimis

Inprimis hîc obſervandum, Apoſtolum non ſimpliciter dicere orandum eſſe, ſed cum maxima quadam emphaſi, orandum eſſe per Spiritum Sanctum: *Is* enim *loquitur in fidelibus*, Matth. X, 20. *& clamat in cordibus eorum*, Galat. IV, 6. Roman. IIX, 15. 1. Corinth. XIV, 16. *Ombo ſpiritu, ombo & mente: nos enim quid oremus, ut oportet, neſcimus*, Roman. IIX, 26. *DEUS autem Spiritu & veritate vult adorari*, Iohan. IV, 26. atque hinc dicitur ipſe *Spiritus deprecationum*, Zachar. XII, 10. à quo ſolo eſt ſollicitudo, ardor, vehementia & alacritas precandi, fiducia obtinendi.

25. Poſtquam fidelibus ſcutum illud fidei, quo omnia tela mali illius ignita extinguere poſſent, Epheſ. VI, 16. ſerio commendaverat, adjungit porro opera & officia illius, Apoſtolus, quibus veritas divina tuta ac inviolata ſervari, omnesque Satanæ machinæ diſſipari qveant; nempe, ut charitatem & ſpem fidei annexam habentes, qvaſi cuſtodia excubent, usqve ad adventum Chriſti; dicens: verſ. 21. ἑαυτοὺς ἐν ἀγάπῃ Θεοῦ τηρήσατε, προσδεχόμενοι τὸ ἔλεος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ζωὴν αἰώνιον. verſu 22. Καὶ οὓς μὲν ἐλεᾶτε διακρινόμενοι. verſ. 23. οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες, μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα. Vos ipſos in charitate DEI conſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam; Et horum quidem commiſeremini, alios vero in timore ſalvate, ex flamma rapientes, odio habentes eam, quæ ex carne malculata eſt tunicam. Charitas, quæ itidem ad ſpiritualem ædificationem reqviritur, continetur verbis; *Vos ipſos in charitate DEI conſervate*; Hæc ἀγάπη Θεοῦ tribus modis exponi poteſt, vel de amore, quo nos DEum proſequimur, aut pro amore quo nos DEUS diligit, aut pro illo ſingulari amore, quem DEUS imperat, gignit, inque Chriſto efficit; unde *Charitas ſpiritus fructus* dicitur, Galat. V, 22. qui amor dicitur *perfectio legis*, Rom. XIII, 8. Atque de hoc amore DEI quem in Chriſto per

Spiritum Sanctum in nobis efficit, Apostolum hîc loqui existimamus, tum quia hæc interpretatio uberior est sensu, & dilectio hæc longius se extendit, quam reliquæ dictæ species, tum quoad argumentum & institutum Apostoli est accommodatissima; Definitur illa Charitas à Sibelio; Conc. 50. in Epist. Judæ p. 275. quod sit *divina virtus, à Spiritu Sancto in cordibus piorum accensa, qua DEum & Christum sincere, & propter seipsum diligunt, ipsique unice adhærent, & in eo tanquam summo & perfectissimo bono acquiescunt*; deinde propter DEUM & Christum proximo benevolunt; eumque ex animo amant, ac omnis generis beneficiis prosequuntur, quod testatur Johannes 1. Epist. cap. 4. v. 11. 12. 20. 21. Altera virtus interna ex fide oriunda, quam commendat Judas, *Spes* est, quæ definiente ipso est *donum DEI, quo exspectamus, misericordiam Domini nostri JESU Christi in vitam æternam*, profluit illa ex fide, teste Paulo Roman. V, 2. *per fidem stamus, & gloriamur sub spe gloriæ DEI*, & Hebr. XI, 1. *fides est illud quo subsistunt quæ sperantur*: commode autem spes vocatur expectatio, nam bona quæ nondum obtinemus, expectamus: quæ vero possidemus, non amplius speramus, & sic Paulus, *Spes*, inquit, *si cernatur non est spes: quod enim quis cernit, cur speret? Si vero quod non cernimus speramus, nempe per tolerantiam, exspectamus*, Roman. IIX, 24. 25. Quid exspectent fideles, denotatur, per verba, ἔλεον τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *misericordiam Domini nostri Jesu Christi*, perfectum videlicet ejus in nobis complementum, quod fiet in adventu Christi ad judicium, quando pios immittet in possessionem plenam omnium beneficiorum, quæ ex DEI misericordia ipsis ab æterno parata, secundum misericordiam DEI parta, & in cœlo reposita, ex mera misericordia conferenda sunt: Salus enim nostra non meritis debetur nostris, sed divinæ misericordiæ in solidum tribuenda, Tit. III, 5. *Donum DEI est vita æterna in Christo Jesu Domino nostro*, Roman. VI, 23. Verbis εἰς ζωὴν αἰώνιον, fructus & finis hujus exspectationis sive spei indicatur, qui dicitur vita æterna, qua nihil pretiosius & excellen-

tius

tius oculus videre, auris audire & mens cogitare poteſt; eſt enim ſtatus filiorum DEI beatus, qua corpus, qua animam glorificatorum; Explicata ratione internæ cujuslibet pii ædificationis coram DEO, per fidem, Charitatem, ac ſpem; deinceps altera paræneſeos parte, modum externæ ædificationis coram hominibus exponit, *neque* enim *ſatis eſt tantum ſua, ſed etiam quæ ſunt aliorum ſpectare*; Philipp. II, 4. licet vero plurimi dentur modi officiorum, erga proximum, unius tamen meminit hic tantum Apoſtolus, nempe caſtigationis ſive correctionis alterius, profluentis ex *charitate DEI, quæ eſt fons dilectionis proximi*, 1. Johan. IV, 20. Caſtigationem hanc diſtinguit Judas ratione ſubjectorum diverſorum; adeoque delectum quendam requirit, qvod indicat verbo, διακρινόμενοι, ut cum aliqvis inerrorem vel peccatum prolapſus eſt, prius diſcernant delinqventem, delictum, ejusque circumſtantias omnes ponderent, anteqvam cenſoriam adhibeant virgam; *Infirmos* & debiles igitur docet leniter arguendos verſ. 22. *Contumaces* vero durius tractandos verſ. 23. οὓς μὲν, inquit, ἐλεᾶτε, per οὓς intelligit eos, qvi aſtutia Satanæ circumventi, ex infirmitate vel ignorantia vel negligentia peccant, *quique mali ſui*, ut loqvitur Junius l. c. *μεταμέλειαν & μετάνοιαν habent, ſi noverunt ipſum, aut certe ſi non noverunt, ſperantur & credantur, certe miſericordiam ſibi oblatam percepturi:* Hos Paulus vocat *præoccupatos in aliqua offenſa* Galat. VI, 1. eſt enim lubrica via hujus mundi, in qva vel *ſanctiſſimus ſepties cadit*, Proverb. XXIV, 16. *in multis impingimus omnes*, Jacob. III, 2. Horum ut miſereat ipſos præcipit, videlicet, ut oſtenſa condolentia miſeriæ eorum, non ſimulatione miſericordiæ, officii eos humaniter admoneant, omnemque lapidem moveant, ut à lapſu erecti æternum ſerventur; juxta mandatum Chriſti, Luc. VI, 36. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt* &c. Matth. XIIX, 33. *nonne oportuit & te miſereri conſervi tui, ut & ego tui miſertus ſum*: de quibus Paulus dicto loco Galat. VI, 1. *Etiamſi præoccupatus fuerit*

homo in aliquo lapſu, vos ſpirituales inſtaurate ejusmodi hominem cum ſpiritu manſuetudinis, conſiderans unusquisque temetipſum, ne & tu tenteris. *Alios* vero inqvit verſ. 23. *metu ſervate, ex ſtamma rapientes*, nempe contumaces, & præfractos, ex mera malitia peccantes; Hos *ſalvandos* præcipit; finis enim ſeverioris diſciplinæ eſſe debet non, ut peccator damnetur vel perdatur: Tota enim *poteſtas ab unico Domino & patrefamilias Eccleſiæ data eſt ad ædificationem, non ad deſtructionem*, 2. Corinth. X, 8. non qvod exinde autores ſalutis ſint, (id enim ſoli DEO competit) ſed miniſtri & organa, qvia medium ſalutis, reſipiſcentiam, correctione ſua dirigunt; Hinc Paulus 1. Timoth. IV, 16. *Intentus eſto tibi ipſi & doctrinæ, & permane in iſtis, quod ſi feceris, & te ipſum ſervabis, & eos qui te audiunt.* Qvem finem etiam ipſe indigitat, qvum jubet *inceſtuoſum tradi Satanæ ad exitium carnis, ut Spiritus ſalvus ſit, die illo Domini Jeſu*, atqve ideo ex flamma eos rapere jubentur, (dubio procul, flamma æterni ignis ſive gehennæ, qvi præfractis ejusmodi ac impœnitentibus peccatoribus, in pœnam cedit) id eſt feſtinanter, & omni vi, ne ab illa abſorbeantur, *emere* enim *eos, qvi rapiuntur ad mortem & eos, qui divertunt ad occiſionem, quis cohibebit ſe?* Proverb. XXIV, 11. Hanc rapinam D. Hieronymus in cap. 18. Ezech. vocat *ſanctam violentiam, & optabilem rapinam:* Id qvomodo fieri debeat, indicatur ibidem, nimirum *ἐν φοβῷ in terrore ſive metu*, non terreno aliqvo aut civili, qvalis exprimitur, Roman. XIII, 3. Sed divino & ſpirituali, denunciando immorigeris iſtis, ex Scriptura Sacra terribile DEI erga impios judicium ac vindictam, ejusqve exempla, & certiſſimum, qvod illis inde imminet æternum exitium, primum qvidem privata charitatis lege, quæ ſi nihil proficiat, publica Eccleſiæ correptione, juxta gradus ab ipſo Salvatore noſtro præfinitos Matth. XIIX, 15. 16. 17. 18. & Pauli 2. Theſſal. III, 14. 1. Timoth. I, 20. Quibus demum ſubjungit, gravem admonitionem, ne pii cum impiis nimis familiares fiant, neque cum eis colludant, ſed odio eos potius habeant,

beant, non quidem personas, sed turpissima illa flagitia; secundum verba Pauli, *nolite jugum ducere cum infidelibus*, 2. Corinth. VI, 14. *Odio*, inquit, *habete eam tunicam, quæ à carnis contactu est maculata*; varias de hac tunica, carnis contactu maculata, expositiones congessit Sibelius L. C. quas hic recensere nimis prolixum foret. Simpliciſſima ac convenientissima textui videtur; qvod per hæc verba intelligatur fuga peccati & peccatorum impœnitentium, quibus cum nullum fidelibus debeat esse commercium, ne ab illis seducantur, *qui* enim *picem tangit, vix immaculatus manet*, Syr. XIII, 1. *& mores bonos corrumpunt conversationes malæ*, 1. Corinth. XV, 32. quare DEUS populum suum jubet *exire Babylone, ne participes fiant peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiant*, Apoc. XIIX, 4. Gravitas fugæ exaggeratur à consuetudine legali in V. T. qua nefas fuit, tangere immunda morticinia, aut vestes ab istis infectas sive pollutas, Lev. V, 2. Haggæi II, 14.

26. Hucusque fuit *Salutatio*, *Exordium propositione junctum, & Confirmatio:* Seqvitur nunc *Epilogus* sive *Conclusio* Epiphonematica, qvartam hujus Epistolæ partem constituens, quæ continet celebrationem nominis divini, & comprehenditur duobus postremis versibus vers. nimirum 24. & 25. Τῷ δὲ δυναμένῳ φυλάξαι ὑμᾶς ἀπταίστους, καὶ στῆσαι κατενώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ ἀμώμους, ἐν ἀγαλλιάσει. vers. 25. μόνῳ σοφῷ θεῷ σωτῆρι ἡμῶν δόξα, καὶ μεγαλωσύνη, κράτος, καὶ ἐξουσία, καὶ νῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας. Αμήν. *Ei vero, qui potest vos servare à peccato immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ, immaculatos, cum exsultatione.* v. 25. *Soli sapienti DEO Servatori nostro, Gloria & Magnificentia, imperium & potestas, nunc & in omnia secula Amen.* Qvibus verbis potissimum ostendit finem, qui in omnibus scriptis fidelium sit propositus, videlicet *gloria DEI*; Hæc causa est cur Apostoli gloriam DEI, in fine Epistolarum suarum exprimant; hinc eadem fere verba leguntur. Roman. VI. versu penult. & ultimo. Cæterum hi duo versus continent descriptionem DEI, & quæ versu 24. peri-

φραστικῶς exponuntur, versu 25. terminate definiuntur; adjuncta quæ DEO attribuuntur duo sunt, nempe quod possit *fideles immunes servare*, à lapsu scilicet, ne deficiant, sed fortiter pro fide semel tradita decertent unde Petrus 1. Epist. cap. 3. vers. 9. *virtutis DEI præsidio custodimini per fidem ad salutem*: Et *sistere eosdem in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exultatione*; quod fiet in Ecclesia triumphante, quando scilicet *Christum visuri sunt sicuti est*, 1. Johan. III, 2. quando *sancti omnes in gloria exultabunt*, Psalm. CXLIX, 5. *gaudium & exultationem obtinebunt*, Esa. XXXV, 10. & *intrabunt in gaudium Domini sui*, Matth. XXV, 21. 23. *Soli sapienti DEO Servatori nostro gloriam, magnificentiam, robur, & potestatem tribuendam esse*, quando dicit Apostolus, Sanctos & B. Virginem Mariam, cui δοξολογίαν talem deferunt Papatus assecłæ, excludit. Atque hæc adjuncta DEI duratura asserit & *nunc, & in omnia secula*: *Regnum* enim ejus, *regnum est omnium seculorum, & dominium ejus in unam quamque generationem*, Psal. CXLV, 13. Gloria ejus nunquam minuitur, Potentia ejus est stabilis, cui nunquam decedit, Majestas ejus nullis fortunæ vicibus obscuratur, neque vetustate collabitur, sed est sine fine, extra tempus, sempiterna seculorum periodo. Concludit demum voce Ἀμὴν, *Amen*, assleverationis certissimæ particulâ, qua omnia prædicta, cum primis votum suum obsignat; de qua Basilius: *Subjungunt Apostoli vocem Amen, partim ad confirmationem eorum quæ dicuntur, partim ad certitudinem eorum quæ scribunt.*

Eâdem igitur & nos finem huic nostræ dissertationi imponimus, dicentes.

SOLI DEO GLORIA, AMEN!